№ 2037 *

II.
Jurisprud.
78. a.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23944/fragment/page=0002

Hoc Volumine continentur.

1) Gundling de Feudis Vejitli.
2) ———, de Efficientiâ metus.
3) ———, de Emtione Vxorum.
4) ———, An nobilitet Venter?
5) ———, de Jure Imperii in M. Ducatum Etruriæ.
6) ———, de Renunciatione hereditatum filiarum illustrium.
7) ———, de Caussa et origine unionis Electoralis.
8) ———, Erläuterung über Schilteri Jus Feudale.

NICOLAI HIERONYMI
GVNDLINGII IC.
SACR. REG. MAI. BORVSS. ET ELECT. BRAND.
CONSILIARII INTIMI ET IN DVCATV MAGDEB. ECCLESIASTICI IVRIVM ANTIQVITATVM ET ELOQVENTIAE PROFESSORIS
IN FRIDERICIANA PVBLICI ORDINARII LONGE
CELEBERRIMI

DE

# IVRE AVGVSTISSIMI IMPERATORIS ET IMPERII IN MAGNVM ETRVRIAE DVCATVM

*COMMENTATIO*

QVAM

TRIPLICI INDICE DIPLOMATVM AVTORVM
ET RERVM COPIOSISSIMO
NEC NON
HISTORIA FATORVM DOCTRINAE
DE FINIBVS SACRI ROMANO-
GERMANICI IMPERII
INSTRVXIT
HENRICVS GOTTLIEB FRANCVS.

*LIPSIAE*
EX OFFICINA LANGENHEMIANA
CIↃ IↃCC XXXII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23944/fragment/page=0005

№ 2041 *

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23944/fragment/page=0006

# HISTORIA
## FATORVM DOCTRINAE
# DE FINIBVS IMPERII.

EVturam VIRI ILLVSTRIS NICOLAI HIERONYMI GVNDLINGII memoriam immortalem, iuſtum litteris et ſolide doctis ſuum dum conſtabit pretium, tam perſuaſum mihi eſt quam quod perſuaſiſſimum. Omnium ſiquidem expectationi non ſatisfecerunt ſolum, ſed et illam ſuperarunt penitus cuncta Summi huius VIRI ſcripta, quotquot eorum luci publicae dedit. Et locum inter illa haud poſtremum occupare Diſquiſitionem praeſentem, quam de Iure Auguſtiſſimi Imperatoris et Imperii in Magnum Etruriae Ducatum conſcripſit, elegantiſſimam, vel ſola ipſius raritas teſtimonium nobis perhibet grauiſſimum. Cui igitur denuo nunc excuſae quum ſit ſcribenda praefatio, praemittendi nonnulla de fatis doctrinae de finibus Sacri Romano-Germanici Imperii non inconſultum

sultum fore arbitror. Simul atque animum ad ius publicum penitius cognoscendum appuli, ad quod, a tenerrima aetate, me rapuit ignotus naturae stimulus, arcana ipsius accuratius paulo rimari nunquam non laboraui summopere. Historiam itaque publici iuris 1) pragmaticam, quae vnius cuiusque doctrinae doceret origines, incunabula, progressus, partiumque studia, si quae sese immiscuere, vna cum impedimentis atque damnis, eidem inde illatis, diu meditatus sum. Eius, data in praesenti occasione peropportuna, specimen erit leue, doctrina de finibus Imperii, 2) cuius nunc fata lustrabo: Et duplex quum sit finium cognitio, alia geographica 3) et iuridica alia, haec quidem, quae iam ad me vnice pertinet, diu mansit inculta. Publici enim iuris Doctores primi *Dominicus* ARVMAEVS, *Matthias* STEPHANVS, *Daniel* OTTO, *Iustus* SINOLTVS, cognomine *Schützius*, *Ioannes* LIMNAEVS, et alii plures, qui sub saeculi praeteriti initium ac medium floruerunt, non nisi Romani et Canonici iuris principia edocti, haec, vtpote quae magno addidicerant labore, et in iure publico iactabant vbique, non leuem hoc modo ipsi inurentes maculam 4) Optimos contra patriae mores, instituta, historiam, et acta denique publica cum ignarissimis quum scirent, fieri non poterat non, quin haec doctrina, quae, quanta quanta est, tanta his vnice nititur fundamentis, ipsis esset numeris Platonicis longe obscurior. Omnium quos potui reperire, fuit primus

*Leon-*

1) Vniuersae scientiae fortunam in academiis eleganti programmate persecutus est, praeterito anno, Vir Consultissimus *Christianus Gottlieb* BVDERVS.

2) Finium ipsorum Romani Imperii et regnorum illi iunctorum historiam scribere, mens mihi neutiquam est, sed argumenti solum in artis, quam dicunt, formam, redacti explicare sortem, est constitutum.

3) De Geographica finium Imperii nostri notitia, vide sis Cel. *Io. Guil.* GOEBELIVM in notis ad *Herm.* CONRINGII immortale opus de Finibus Imp. c. I. n. 6. Operum CONRINGII ab IPSO editorum T. I. p. 129.

4) Miscendo v. g. veteris Imperii formulam cum praesenti, ac imperii principes cum prouinciarum praesidibus Romani imperii comparando, et quae sunt innumera plura eiusmodi publici iuris meteora.

*Leonhardus* WVRFBEIN, qui praeclarissimam hanc publici iuris partem attigit in libro, cui titulus:

Relatio historica Habspurgico-Austriaca, *was massen das Hauß Oesterreich zu seinen Landen kommen;* it. *Bericht was seit* Carolo M. *an das Teutsche Reich gebracht, und davon abgekommen.* Nürrenberg 1636. fol.

Parte V. et VI. Sed sicuti Viris, qui scientiae alicuius frangunt glaciem, raro ea contingere solet felicitas, vt praeclari quid in medium afferant; ita nemini mirum erit, nec ea nostrum gloriari posse WVRFBEINIVM, propterea quod laborem parum commendant, innumerus errorum ac fabularum numerus, vastae satis vbique lacunae, spurii recentiorum chronographorum, quibus vnice vtitur, fontes, et actorum denique publicorum tenebrae plusquam Cimmeriae. En ergo, omnibus humanis ceu accidit rebus, tenues clarissimae doctrinae origines. Exiguum erat praeterlapsum temporis spatium, quo Musis propitioribus et successu magis prospero, operi manum admouebat iuris nostri publici instaurator sine dubio felicissimus *Hermannus* CONRINGIVS, cuius de Finibus Imperii opus excellentissimum prima vice lucem aspexit publicam *Helmstadii 1654. 4.* 5) recusum postea *Francofurti ad Moenum 1680. 4.* et auctius, additis variis, iisque nouissimis Imperii mutationibus, et Exercitationibus de republica Imperii Romani *ibid. 1693, 1696, 4.* 6) ac denique cum variorum



5) *In primae huius editionis prooemio fatetur* CONRINGIVS, inquit, GOEBELIVS in Praefatione Tom. I. Opp. CONRING. *sibi solum propositum fuisse dissertationem scribere, deinde vero cum aliquo vsque progressus esset, rerum copiam et maiestatem postulasse, vt sese magis diffunderet; continuisse se tamen in explicandis iuribus finium; causas vero, cur illi quondam ita amplificati et rursum contracti sint, alii reseruasse tempori. Interim vt aliquo modo Lectori hac in re satisfaceret, praemisit huic, operi praefationem suam in politicam Aristotelis.*

6) Augmentorum historiam IDEM tradit, dum CONRINGIVS inquit, *a Leopoldo Imp. glor. recordationis, clementissime iussus est, opus istud vsque ad sua tempora pertexere, cum in pacis Westphalicae tractatibus subsistitisset. In-*

rum notis et accessionibus praestantissimis, Operum CONRINGII a Celeb. Helmstadiensium ICto *Io. Guilielmo* GOEBELIO *Brunsv. 1730. in fol.* editorum T. I. p. 114. seq. 7) Plures, quantum quidem mihi constat, editiones non extant. 8) Dispertiuit autem IPSE ingenii sui foetum non moriturum duos in libros, quorum primus de finibus Imperii Germanici a primo eius exordio vsque ad Fridericum secundum Caesarem agit, ac XIIX. absoluitur capitibus; secundus contra finium Imperii Germanici fata a Friderico II. Caesare ad sua vsque tempora recenset, et triginta comprehendit capita, quorum recense-

*dicat hoc ipse autor in epistola ad episcopum Ferdinandum a* FVRSTENBERG *anno 1673. (Operum Tomo VI. pag. 454. num. 39.) exarata his verbis - - - et in epistola ad* EVNDEM *anno 1678. (Opp. T. VI. p. 458. n. 47.) data ita scribit - - - nec non in epistola ad* BALVZIVM *de anno 1680. (Opp. T. VI. p. 491. n. 45.) recensui - - -. Ea quae in supplementum libri I. tum scripsit B.* AVTOR, *an. 1680. eo adhuc viuente, deinde vero 1693. sub nomine libri IV. euulgata sunt, adiunctis vltimae editioni insuper annotationibus incerti auctoris, agentibus de nouissimis, finium mutationibus per pacem Pyrenaeam, Aquisgranensem, Neomagensem, et vicennales inducias enatis, quae accessiones tum sub nomine libri III. comparuerunt.*

7) *Nos autem,* inquit, IDEM (GOEBELIVS) l. c. *supplementa* CONRINGII, *quorum modo mentionem fecimus, ipsi textui suo loco subiunximus.* ANONYMI *p. 463. notas vero in fine totius operis reliquimus, ne confusio inde oriretur, praesertim cum et notulae MStae in integrum librum de finibus in manus nostras inciderent, quas auditoribus, opus illud interpretando, in calamum dictauit, quasque similiter sub textum locauimus, additis his litteris C. A. M. id est* CONRINGII *annotationes MSptae ad differentiam supplementorum iam tum superiori saeculo editorum, quas sub signis C. A. E. id est* CONRINGII *annotationes editae, indigitauimus. Celare itaque B. L. non possumus a. p. 148. vsque 181. enorme irrepsisse mendum, cum typothetae harum rerum ignarissimi, pro annot. posuerint annal. et ita turpissimo vitio ex annotationibus fecerint annales. Quod B. L. aequi bonique interpretaturum emendaturumque confidimus.*

8) IDEM l.c. quidem scribit: *Ante aliquot annos etiam C. G.* HOFFMANNVS *ICtus Francofurtanus Opus* CONRINGIANVM *de Finibus, Lipsiae cum notis edendi spem fecit.* Ast haec adhuc latet, et editiones, quae Lugduni in 8. et Lipsiae 1692. 4. prodierunt, quarum prior *Floridi* MARTINI nomen mentitur, referente eodem GOEBELIO l. c. nec CONRINGIVS nec haeredes eius pro suis agnoscunt.

censere argumentum nimis longum foret. Melioribus certe imbutus erat CONRINGIVS litteris; erat ipsi patriae morum, antiquitatum, historiae, et actorum denique publicorum cognitio haud superficiaria, qua de caussa et exasciati quid ab eo poterat expectari. Non possum autem non, quin et maleuolorum, quos opus hoc omni laude maius expertum est, hic iniiciam mentionem. Eorum facile princeps *Hadrianus* VALESIVS eruditione clarissimus, cuius ad *Iohannem Albertum* PORTNERVM, S. Caesareae Mai. Consiliarium epistola, in qua de summi VIRI hoc conatu parum honorifice sensit, quamque e volumine epistolarum inedito ad FORSTNERVM datarum, produxit *Christian. Matthaeus* KNESEBECK 9) in Prodr. Iuris publici Vniuersalis, quo huc transcribatur, digna omnino mihi visa fuit. Eius igitur summa est. PP. *Legi* CONRINGII *librum de Finibus Imperii Germanici, in quo Philippi quidem et Iohannis Valesiorum Franciae Regum aliqua fit mentio: mei, quod tu tamen scripseras, nulla. Cuius libri titulum iure quis arguat. Nullum enim vsquam Imperium Germanicum fuit vnquam, nullum est hodieque: nec Imperator, etiamsi in Germania sedem habet, Germanorum Imperator est, sed vt ipse more maiorum se appellat, Rex Germaniae et Romanorum Imperator: Si tamen Romanorum Imperator vocari debet, qui Vrbi Romae non imperat, et Romae de Senatus populique Romani sententia dudum desiit consecrari. Nihilominus* CONRINGIVS *Imperio illo suo Germanico pene ipsum Francorum Regnum (ne de ceteris loquar) velut in formulam Prouinciae redactum, aut beneficium aliquod attribuit, quod plane est caput pedibus, Dominos rebellibus famulis subiicere; cum Reges Francorum diu Germaniam, Noricum, Pannoniam et Regnum Longobar-*

9) IDEM est, ex quo et illam descripsit *Cel.* GOEBELIVS in Praefat. Opp. CONRINGII Tom. I. et in notis ad EIVSDEM Praefat. Operi suo saepius laudato praemiss. Oper. Tom. cit. p. 116. n. f. Iniustum vero VALESII iudicium notatum fuit, et in notis ad vitam CONRINGII, quam programmate funeb. exposuit *Melch.* SCHMIDIVS, 1681. sub fin. n. c. et in Comm. GOEBELIANIS ad saepius citat. CONRINGII opus de Imp. Finibus.

*gobardorum ac Ducatum Romanum, omnia denique quae Imperatores vestri possident, ac triplo etiam plura tenuerint, et regnum illud Germanicum occasione bellorum nostrorum ciuilium sit translatum ad exteros, qui a Caroli Magni familia desciuerant. Tanta quidem nominis Francici reuerentia etiam post translationem hanc mansit in Germanorum animis ac Lothariensium, vt Regnum Germaniae diu, ac etiam sub Henricis Regnum Francorum (nimirum Orientalium) appellaretur, nec alibi quam in Francia, vulgo nunc Franconia, dicta videlicet Moguntiaci aut Francofurti Reges Germaniae consecrarentur. Non itaque decet Reges Germaniae, (vel vti* CONRINGIO *placet Imperatores) Maiestatem Francicam, cui sua omnia debent, sugillare, quandoquidem Reges nostri, qui in omnia Maiorum suorum iura successerunt, erepta eis regna armis repetere a Regibus Germaniae iustius possunt, quam Reges Germaniae aliquid in Franciam Dominam quondam suam iuris sibi vindicare. Multa plane legit Conringius, sed quicquid legit, etiam Tabulas, Epistolas, Pactiones transscribit, et congerit, magnaque de nihilo nascitur Historia. Inprimis p. 6. scribit, Francos ab antiquissimis vsque temporibus, florente Imperio Romano, tenuisse partem Germaniae, quae Francia vel Franconia hodie dicitur, qui si opus meum legisset, didicisset, Francorum ad Ostia Rheni et ad oceanum sedes tum fuisse, Alemannorum autem (vt Aurelius Victor in Caracalla docet) ad Moenum in ea Regione, quae postea circa Pipini et Caroli Magni aetatem incertam ob causam Francia, vel Francia Orientalis, demum Franconia dicta est. Idem pag. 628. Regionem Burgundiae, Comitatum Carolium apud Bodinum pro Comitatu Burgundiae accipit errore puerili, sed ab aliquo admonitus erratum istud ad calcem libri emendauit. Quod autem* saltim *pro saltem tantopere affectat; fallitur. Saltim enim* πηδητικως *seu saltuatim saltem vero* γηνȣν καν *significare vetera Glossaria Latino-Graeca docent. Sed de his satis, quae ne tibi rugam trahant, metuo, ne de amico tuo tibi videare male, aut etiam maligne sentire. Lutetiae Paris. 1656.* Duram hanc, quid quod iniquam plane, et vnanimi scriptorum consensui aduersam sententiam

VALE-

VALESII, quem Iura Imperii in Burgundiae regnum, a Gallo sine titulo legitimo possessum, luce meridiana clariora, male habebant, ac quo scriberet haec, adigebant, non indocte refellit KNESEBECK. l. c. dum *sane hic virum*, inquit, *cetera clarissimum, de tanti Viri opere, quod in aulis et academiis, vbi solida doctrina habitat, multos magnosque inuenit aestimatores, maleuolo animo potius, quam veritate iudicasse deprehendo. Non enim video, quo iure* VALESIVS *titulum Imperii Germanici, quem* CONRINGIVS *incomparabili operi suo praefixit, perstringere possit,* ABLONDELLO *in imperium nostrum paulo iniquiori,*10) *id haud dubie edoctus. Ast cum huius Viri falsissimam sententiam Iohannes Henricus* BOECLERVS *peculiari dissertatione* 11) *more suo i. e. erudite satis confutauit, non operae est pretium, vt multum de hac re sollicitus sim.* Caetera, quae ibidem aduersus VALESIVM ac BLONDELLVM disputat obiectosque CONRINGIO grammaticos errores vindicat, huc transferre spatii angustiae prohibent12) Leuioris profecto momenti sunt obiectiones vel potius suggillationes *Christophori de* RASEWITZ, 13) qui *in seinen alt Christlichen Gedancken* pag. 300. in operis CONRINGIANI Lib. II. Cap. XXI.XXII. calamum strinxit. Asserit nimirum cc. ll., iure summo, immortalis memoriae VIR, bona pontificibus Romanis donata non omnino Imperii limitibus excidisse per Caesarum dona, terrasque Italicas pontificum beneficiarias pertinere ad ditionem Imperii. RASEWITZIVS contra, supremum harum prouinciarum imperium pontificibus vindicaturus, ad siculnea, subiectionis liberorum populorum, donationum, quarum au-



10) in Barro Campano Francico, *Amstel. 1652. fol.* vbi iura regis Galliae in Barri Ducatum defendit, ac Imperii in Burgundiam et Lotharingiam iura fumos, et Carolum IV. ea instaurantem, principem fumisitibundum, modo sane iniquissimo, appellat. 11) in Diss. de Sacro Romano Imperio, quae et Notitiae eius S. R. I. *Arg. 1670. 4. et auct. ib. 1680. 8.* accessit.

12) Quae VALESIVS inprimis aduersus CONRINGIVM in medium protulit, GOEBELIVS quoque in commentariis suis egregiis expendit, atque ad ea solide respondit.

13) v. EVNDEM in Praefatione Tom. I. Opp. CONRING.

thentica instrumenta Romae seruarentur, et praescriptionis argumenta, confugit, ex merito a GOEBELIO confutatus, 14) Grauius autem longe est imperialis aulae testimonium, 15) vtpote quae, teste *Melch.* SCHMIDIO in Vita CONRINGII, *de opere aeterno de finibus Imperii tam sensit mirifice, vt sua interesse summopere existimauerit, illius libri secundam editionem, suoque modo auctiorem prodire; iussit igitur ante biennium, hunc laborem vt resumeret, quod quidem ille agere coepit, sed hisce difficillimis temporibus et dubiis rebus non sine animi quadam aegritudine, donec extremus vitae dies finem labori attulit.* Operis denique praestantiam non minus testatur summus, quo ab orbe litterato est exceptus, applausus, 16) ita vt multorum annorum interuallo addere aliquid vel emendare cogitauerit nullus, 17) quin potius non nulli sua inde desumserint omnia. 18) Et publici iuris scriptores

14) In Notis ad Vitam CONRINGII. 15) v. et supra n. 6.

16) De hoc testimonium etiam perhibet omni exceptione maius saepius laudatus GOEBELIVS, in Praefatione Opp. CONRING. T. I. *Quanta admiratione*, inquit, *opus hoc a quibusuis cordatioribus exceptum sit, ex tot, quae in illud extant encomiis patescit. v.* extractus menstruus. *An. 1700. p. 279.* SCHVRTZFLEISCHIVM *in* (SARCMASII) *iudiciis p. 2. et Epp. arcan. P. I. p. 39. et 203.* BILDERBECKIVM *in Biblioth. iuris publici Germ. p. 37.* CRENIVM *de lib. scriptor. opt. p. 19. qui scribit, neminem dubitare, hunc librum inter* CONRINGIANOS *esse optimum.*

17) Ita post CONRINGIVM, per totum fere saeculi praeteriti decursum, de hoc argumento qui scripserit aliquid, deprehendere potui neminem. Innuit hoc ipsum GOEBELIVS l. c. *post* CONRINGIVM inquiens, *nemo fere in hac palaestra se exercere, ausus est, diuque nemo repertus, qui vel spem fecerit, in opus* CONRINGIANVM *commentari, nisi quod* Matthaeus Christianus KNESEBECK *anno 1700. Rudolphopoli* (rectius *Rodopoli*) *publicauerit Prodromum iuris publici vniuersalis qui* - - - (integrum eius titulum, historiamque v. infra inter scriptores de Iure Imperii in regnum Burgundiae) *sed spes ista a* KNESEBECKIO *facta orbi erudito dudum euanuit, nec adeo magna ab eo expectare quis potuit* --- *Referente quidem Bibliotheca* FABRICIANA *P. VI. n. 8. non nemo opus singulare molitus est, de iustis Imperii Germanici finibus, iuribus in exteras prouincias, cum veris, solidis et apertis, tum adfectatis falsis, antiquatis aut incertis in supplementum, et emendationem illarum, quae* CONRINGIVS *caeteriique summi et doctissimi viri de argumento tam nobili scripserunt.* Sed et inter promissa adhuc latet.

18) Exempli loco sit *Io.* STRAVCHII Dissertatio de Regno Arelatensi,

res ad vnum fere omnes, qui syſtemata ſua atque compendia vel leuiter ſaltem hac ornarunt doctrina,19) eius non niſi labore vſi ſunt,20) vix vno alteroue excepto, cui peculiares ſimul, quas dicunt hypotheſes, admodum fuerunt ad palatum. 21) Aſt quum eiusmodi quid, in quo deſideres nihil, hoc aeuo nec inueniri nec expectari poſſit; ita et CONRINGII opus, lectisſimum profecto, ita eſſe comparatum, vt omnibus ſit abſolutum partibus, nec ſpicilegio detur locus, affirmare nemo facile audebit. Ita Imperii noſtri compagem e Romano Imperio, et Germaniae, Lotharingiae, Burgundiae, Italiaeque regnis, quorum vnicuique ſeparata ſua erat formula, conflatam, inter ſe permiſcens VIR Summus, confuſionem, vna cum erroribus inde natis, non potuit euitare, non dicam, quod et tempus poſt ipſum mutauerit multa. Quid quod infinita prorſus, quae poſt fata eius ſecuta eſt actorum et monumentorum publicorum copia, plurimis nobiliſſimae doctrinae locis, lucem accendit longe clariorem. Nouum igitur



quam totam e CONRINGIO deſcriptam tradunt. v. *Anton. Günth.* LOESCHERI egregium auſpiciorum regni Arelatenſis indicem ſubitaneum mox citandum Cap. I. n. a. p. 24.

19) Eorum enim bene multi et poſt ILLVM huic ſcientiae in ſcriptis ſuis locum relinquere omnino noluerunt, et, ſi coniecturae datur locus, quod Romani et Canonici iuris notitia vnice eſſent inſtructi, vbi doctrinae huius, altum, vt ita loquar, eſt ſilentium. Quorum in numero ſunt *Hermannus* HERMES in Faſciculo Iuris Publici ex Sacr. Rom. Imp. viridariis collecto, *Salisburgi 1663. 4. Caſpar* MANTZIVS, cuius Fundamenta Orbis et Vrbis nota ſatis. *Io. Volckm.* BECHMANN. in Inſtitutionibus Iuris Publici Axiomaticis iuxta ordinem analyticum compoſitis. *Ienae 1688. 8.* et alii non pauci.

20) *Gabrielem* SCHWEDERVM, *Philippum Reinhardum* VITRIARIVM *Io. Fridericum* PFEFFINGERVM, *Burcardum Gotthelff.* STRVVIVM, nominaſſe ſufficiat, et recentiorum plures.

21) *Henricus* v. gr. COCCEIVS in Principiis Iuris publici Cap. II. p. 24. ſeq. regni Germaniae iura ab antiquiſſimis reuocat temporibus, in quibus nec ſeparata gaudebat formula, nec cum Romano Imperio coniunctum erat, et iactatum adeo V. vel VII. Germaniae populorum ſyſtema effingit. Bibliothecae nouae Hallenſis Autor P. XX. fol. 886. ac *Iacobus* BRVNNEMANNVS in Introd. in Ius Publicum Diſſert. III. §. 23. Iura Imperii in Burgundiae regnum otioſa declarant et vmbrae comparant, quae apprehendi non poſſit, notante ita LOESCHERO l. c. n. c. p. 29.

argumento huic splendorem, nouamque methodo concinnitatem dedit Excellentissimus *Io. Iacobus* MASCOVIVS, 22) in Principiis Iuris Publici, vbi Imperii Germanici systema accurate delineauit, et Regnorum Germaniae, Lotharingiae, Burgundiae, Imperiique Romani et Italiae, fines, titulos, diuersumque prouinciarum habitum, explicuit. Quod eo loco breuiter, sed vti solet, eleganter delineatum, variis dissertationibus, quas paulo post laudabo, fusius deduxit. Hanc ego methodum, haud dubie praestantissimam, sequi, et fata doctrinae de finibus vnius cuiusque regni, quibus Imperium nostrum absoluitur, speciatim exponere in animum induxi meum. Germaniae autem, quae Imperii Romani Maiestatem atque decus vnice sustinet, iure meritoque prima debetur gloria. Cuius rationes primaeuas describit G. d. C. Francopolitae Franco Germania, quam mox integram dabo. Illius fines non mutatos contendit

*Io. Mich.* WEINREICH Dissertat. de Finibus Germaniae nunquam mutatis, *Erfurt 1710. 4.*

sed valde accisos esse, vel solo Liuoniae exemplo probat

*Carolus Aemilius* liber Baro a KETTLER. sub praesidio *Io. Henr.* BOECLERI, Dissertat. de acquisito et amisso Imperii Romano-Germanici in Liuoniam iure, *Argentorati, 1710. 4.*

Lotharingici regni faciem antiquam exhibent

*Conr. Sam.* SCHVRTZFLEISCHII Diss. de Regno Austrasiae, *Witteb. 1693. 4.* et inter Dissertationes eius historiae Ciuilis, *Lipsi. 1698. 4 edn. IV.* Cui excellentissimi Viri huius merita cognita sunt, et de hac facile iudicium ferre poterit.

H. G. d. C. Francopolitae Franco-Germania, *d. i. Wahres Franckreich, oder Bericht von dem Königreich* Germanien, Ej. *wahre Beschaffenheit des alten Königr. Austrasien;* Id. *von dem alten Königr. Lothringen,* A. 1682. 12. *Christian. Frid.* FRANCKENSTEINIVM sub hoc nomine latere, alii, 23) et Dom. de HORNICKE, rursus alii existimant: labor caeterum sua laude non defraudandus.

Vni-

22) ANONYMI enim opus, cuius supra n. 17. mentio facta, lucem non adspexit publicam, nec facile, si adspiceret etiam, de quo tamen valde dubito, HVIC palmam praeripiet promeritam.

23) v. *Ill. Io. Burc.* MENCKENII Bibliothecam exquisitissimam et absolutissimam. p. m. 329.

Vniuersi illius vt et singularum eius partium cum Imperio Romano nexum docent

*Io. Iac.* MASCOVII egregia prorsus Diss. de Nexu Regni Lotharingiae cum Imp. Romano-Germanico, *Lipsi. 1727. 4.*

*Christoph.* BVTKENS Trophées tant sacrés que profanes du Duché de Brabant, *à la Haye 1724. fol. 2. Tom.* Opus profecto splendidum, cuius adhuc duo expectantur Tomi. Nexum Brabantiae cum Imperio solide firmat Autor.

*Petr.* STOCKMANNI Decisiones Brabantinae, inter opera, *Bruxellis, 1680. 4. edit.* non minori laude dignae.

*Io. Iac.* CHIFFLETII Commentarius Lotharienſis, *Antv. 1649. 4.* Iura Imperii in Barri Ducatum vindicat erudite satis, cui opp.

*Dau.* BLONDELLI Barrum Campano-Francicum, *Amst. 1652. fol.* Galliae regis iura propugnat, et pro eruditione sua singulari, malam caussam bene defendit.

Petitionis Gallicae de Circulo Burgundico a pace Imperii excludendo refutatio, *1648. 4.* ad nexum Circuli Burgundici cum Imp. Rom. non nihil confert.

*Bedencken, ob die Burgundiſchen Creyß-Lande, und was dazu gehörig,* in et de territorio *ſind oder nicht,* in *Ioh. Chriſtian* LVNIGS *Staats*-Conſiliis Tomo II. *Leipzig 1715. fol. n. 159.*

*Io. Petr.* de LVDEWIG de Iure quod sibi Galliarum rex in Lotharingiam postulauit et vsurpauit Epistola ad L. B. de DANCKELMANN, *Halae Magdeb. 1697. 4.* et saepius recusa et in Op. EIVS Misc.

Anonymi Considerationes *über die Oſtendiſche Commercien-Compagnie, ob und wie ferne ſie das Recht angehen, 1727.* v. *Reichs-Fama, menſ. Iul. p. 87.*

Anonymi *gründliche erwieſene Nichtigkeit derjenigen Conſiderationen,* ibid. menſ. Aug. p. 146

Galliae contra regum in hoc regnum eiusque partes, iura adstruere conatur

Question historique, si les Provinces de l'ancien Royaume de Lorraine doivent être appellées terres de l'Empire, *a Paris 1640. 8.*

Burgundici regni pristinum statum exponunt

*Io. Dan.* SCHOEPFLINI Diss. de Burgundia cis et transiurana, *Argent. 1731. 4.* 24) Gallorum sub Imperio quoniam viuit Autor, veritatem non adeo candidam vbique proferre potuit.



24) *Conr.* enim *Sam.* SCHVRTZFLEISCHII Historia Veteris regni po-

Nexum eius cum S. R. I. qui demonstrant, praecipuos saltem, ob ingentem eorum numerum, adducere lubet, sunt illi pro iure 25) Imperii

*Io. Iac.* MASCOVII Diss. de Nexu regni Burgundici cum Imperio Romano, *Lipsi. 1720. 4.* quae ob suam praestantiam iure primo loco nominanda fuit.

Description Historique et Geographique de la France Ancienne et Moderne avec des cartes geographiques, *a Paris 1721. fol. 2. Voll.* Autorem constat Abbatem de LONGVERVE, estque in hoc argumento liber optimus, et in recensendis partibus regni Burgundici tam candide pro Imperii iuribus scripsit Cl. Autor, vt et quasdam paginas denuo imprimendas curare necesse habuerit. Huic sese opposuit Abbas de CAMPS, quem producendi, mox dabitur locus.

*Conr. Sam.* SCHVRTZFLEISCHII Diss. Num Carolus IV. Iura Imperii dissipauerit, *Witteb. 1684. 4.* et inter Dissert. Historiae Ciuil. *Lipsi.* 1698. 4. iunct. ed. n. XI.

*Io.* STRAVCHII Diss. de Regno Arelatensi, *Ienae, 1674.* et inter Opuscula EIVS Iuridico-Historico-Philologica rariora, cura *Caroli Gottlieb* KNORRII, et c. Praefat. *Conr. Frid.* REINHARDI, Fasc. I. *Halae 1729. 4.* de qua vide supra n. 9)

*Christian. Matth.* KNESEBECK Prodromus Iuris publici vniuersalis, magna eruditorum expectatione diu desiderati, continentis praetensiones illustres Imperatoris et Imperii, regum principum ac rerum publicarum totius Europae, maiori operi praemissus, ad vindicanda S. R. I. iura aduersus MEZERAEVM, *Hadr.* VALESIVM, *Dauid.* BLONDELLVM, aliosque veluti primipilares iurium et rerum Gallicarum Scriptores, quorum lapsus ea, qua par est, modestia deteguntur, rationes ex historia, iure naturali et gentium petitis confutantur, cunctaque diplomatibus non vnis, ex archiuis depromtis, LIMNAEO et CONRINGIO nunquam visis demonstrantur ac corroborantur, *Rodopoli*, i. e. *Rostochii, 1700. 4.* non

pulique Burgundionum, *Witteb.* 1679. 4. et inter Diss. Hist. Ciu. X. proprie huc non pertinet, illud enim totum in Francorum potestatem peruenit.

25) De reliquis v. LOESCHERVM l. c. n. a. p. 23. seq. vbi omnes fere Burgundici regni scriptores, et qui de eius cum S. R. I. nexu egerunt, accurate satis recenset.

non *Rudolphopoli*, prouti GOEBELIVS supra n. 17. c. contendit. Argumentum amplus quidem titulus satis superque demonstrat. Et functum officio suo satis bene, inspectio ipsa docet. Fini adiecit conspectum operis sine dubio maioris, quod, quantum e conspectu coniicere licet, Iuribus Imperii in Burgundiam, et regis Gall. simul in ducatum Mediolanensem, destinatum fuit, sed lucem publicam quo minus aspiceret, funesta autoris fata prohibuerunt. Huius tamen, prodromi nimirum, alia prodiit editio ornata titulo:

Discursus de studio iuris publici vniuersalis et praetensionibus illstribus, *1705. 4.* 26) In quo quidem, ne verbum mutatum, characterem saltem minorem adhibitum, qui et ipsum aliquot foliis reddidit breuiorem, deprehendes, si excipias Autoris nomen, conspectum fini adpositum, et loca quaedam BOSII et WAGENSEILII, quae in fronte prioris apparent, quaeque hic omissa sunt omnia.

*Sim. Frid.* HAHNII de Iustis Regni Burgundici, noui vel Arelatensis limitibus, *Halae, 1716. 4.* quo loco et Imperii iura egregie deducit.

*Antonii Gunth.* LOESCHERI Auspiciorum regni Arelatensis index subitaneus. 27) Accessit Analector. ex omni meliori litterarum a societate charitatis et scientiarum collectorum, T. I. *Lipsi. 1725. 4.* p. 22. et quinque absoluitur capitibus, in quibus, pro praefixi scopi breuitate, Arelatensis regni historiam et cum Germania nexum eleganter persequitur.

*Petri* SAXII Pontificium Arelatense, seu Historia Primatus S. Arelatensis Ecclesiae, *Aquis Sext. 1629. 4.* 28) Quem quidem librum, quum PEIRESCIVS purpuratus imperii iuribus nimium fauentem deprehenderet, non quieuit, donec publico senatus Aquensis edicto prohiberetur ac supprimeretur, teste *Petro* GASSENDO in vita Peirescii, P. I. L. IV. p. 130. Vnde accidit, vt postea

26) Eius quoque, sed minus accurate et ceu peculiaris opusculi a superiori diuersi, mentionem facit LOESCHER. l. c. GOEBELII autem de KNESEBECKIO iudicium vide supra. n. 17.

27) Opus enim maius adhuc meditatur Cel. Autor prouti hoc ipse Cap. I. indicat.

28) v. Iam laudati *Ill.* MENCKENII Bibliothecam celebratissimam. p. m. 523. Anno vero 1626. teste LOESCHERO l. c. prodiisse, refert GASSENDVS l. c.

postea cum rarissimis in Germania certaret, et in celeberrimis Bibliothecis iisque splendidissimis frustra quaesitus fuerit. Communis vtilitatis necessitate tandem permotus, Ill. noster *Io. Burc.* MENCKENIVS, immortalibus in litterariam rem publicam meritis celeberrimus, praestantissimum hunc librum Scriptor. suorum Rer. German. et Saxonicar. Tomo I. *Lipsiae 1728. fol.* denuo inserendum curauit.

Histoire de Dauphiné, *Genev. 1722. fol.* II. Partes.

Scripti huius, quod summo studio summaque cura compositum, Autor est Ill. Dom. *Io. Petr.* MORET de BOVRCHENV, *Marquis* de VALBONAYS, summi senatus in Delphinatu praeses. Et haec quidem editio praestantior est priori, quae prodiit sub tit.: Memoires pour servir a l'histoire de Dauphiné, *a Paris, 1711. fol.*

*Conr. Sam.* SCHVRTZFLEISCHII Vindiciae iuris Imperii in Prouinciam et Delphinatum tanquam veras et veteres regni Arelatensis partes, *Witteb. 1707. 4.*

Sabaudiae ducatum, qui ad regni huius rationes spectauit, imperio subiectum, singulari, eoque praestantissimo scripto, summi cuiusdam ministri Caesarei, motu et auctoritate, vindicasse, Consiliarium aulicum Borussiae regis B. M. Dn. ZWANTZIG testatur *Io. Paul.* de GVNDLING, *in der Vorrede der historischen Nachricht von Tuscien* mox citand. Quod cum ad meam non peruenerit notitiam, sicco transire pede cogor. Coniecturae tamen datur locus, esse fortasse illud, cui, suppresso autoris nomine, titulus: *Fundamentale Erläuterung, daß Ihro Königl. Hoheit der Herzog von Savoyen, als des Heiligen Römischen Reichs Lehns-Fürste und Vasall, nach seinen dem Römischen Kayser und Reiche schuldigen Pflichten, auch der Convenienze, und seinem Interesse nach, zur grossen Allianz contra Franckreich überzutreten höchste Raison und Ursach habe, Cöln, 1703. 4.* Vbi Sabaudiae ad imperium habitum, secundum rerum gestarum seriem exponit, simulque Imperatori et imperio debitam fidem, e iuris Naturae legumque Imperii fundamentalium fontibus, erudite profecto, demonstrat. Qua vero occasione proderit, titulus e vestigio docet.

Pro Gallorum in regni Burgundici partibus supremo iure extat.

Dissertation de la souverainité de la Couronne de France sur les Royaumes de Bourgogne Transiurane et d'Arles par Mr. de CAMPS, Abbe de SIGNY, Mercurio Parisiensi, an. 1723. inserta est

haec

haec dissertatio, quae Galliae regibus supremum harum prouinciarum dominium vindicat, et Imperatoribus, a Conrado Salico ad Carolum IV. vsque, dominium saltem vtile iure familiae non Imperii competiisse, contra omnem historiae fidem, asserit.

Romani Imperii 29) simul cum Italiae regno 30) ad Germaniam habitum iunctim tradunt

*Herm.* CONRINGII Disquisitio de Imperio Germanorum Romano, vna cum *Franc.* GVICCIARDINI, Patr. Florentini, Diss. de origine potestatis saecularis in Ecclesia Romana, *Helmst. 1643. 4.* 31) et postea cura *Herm. Ioan. Herm. filii* CONRINGII, *ibid. 1694. 4.* ac cum variorum notis, Operum a *Io. Guil.* GOEBELIO, *Brunsuigae, 1730. fol.* edit. Tom. I. p. 86. Labor sane tanto Viro dignus.

*Conr. Sam.* SCHVRTZFLEISCHII Dissert. de Iure Augusti in Italiam, *Witteb. 1697. 4.* et cum supplementis quibusdam inter Dissert. eius historiae Ciuilis, *Lipsi. 1698. 4.* no. II. Prima solum iuris imperialis in Italiam lineamenta dare conatus est Celeb. Autor. In Germanicam postea linguam transtulit additis quibusdam notis *Godofr.* RVHLMANNVS, suppresso tamen nomine suo. Huius titulus est:

*Des weitherühmten Herrn* Conr. Sam. SHVRTZFLEISCHENS *Recht der Römischen Kayser auf Italien, aus dem Lateinischen*



29) Aniles quidem BARTOLI fabulas et suauia profecto somnia *Franc.* ZOANNETTI, Antecessoris Ingolstadiensis, in Tr. de Romano Imperio, nec non *Iusti* MEIERI, in Dissert. Quomodo Imperator sit mundi dominus, de orbis dominio Imperatori competente, studio praetermittere placet, nec lubet attingere, ingeniosum satis lusum Cel. ICti *Ioannis Vincentii* GRAVINAE, cuius de Imperio Romano liber, qui Originibus ipsius Iuris Ciuilis, *Lipsiae* 1717. 4. impressis, accessit, imperio nostro ius in omnes Prouincias, quas olim Romanus populus possedit, nominatim Hispaniam, Galliam, et reliquas vindicat.

30) Illustrissimum *Ioannem Christianum* L. B. de BOINEBVRG multis in litteris nihil magis in votis habuisse, nisi vt reperiretur quis, qui data opera, Italiae cum Germania nexum accuratius demonstraret, Autor est *Cel. Iac. Paul de* GVNDLING. l. c.

31) Auctiorem editionem promiserat ipse Autor in Epist. ad Ducem AVGVSTVM anno 1660. scripta (Opp. Tom. VI. p. 424.) et in epistola ad BALVZIVM XII. (ibid. p. 490.) nec non in notis ad caput. I. §. II. de Finib. Imp. (T. I. p. 130.) Morte autem impeditus laborem reliquit filio *Hermanno Ioanni* CONRINGIO, qui ex ipsius autographo auctiorem edidit anno citato. Plures an extent editiones, tuto asserere non licet. Quid CONRINGIVM ad scribendam hanc disquisitionem impulerit, in prooemio ipse exponit Opp. T. I. p. 27. v. GOEBEL. in Praefat. cit.

*schen 1697. gedruckten Exemplar, vorietzo ins Teutsche überſetzet, und mit einigen unpartheyiſchen Anmerckungen begleitet* 1709. 4.

*Eiusd.* (RVHLMANNI) *Unwiederrufflliches Recht, welches Sr. Kayſerl. Maj. von wegen des Heil. Römiſchen Reichs Teutſcher Nation, nicht nur auf Parma und Placenz, ſondern auch ſo gar auf gantz Italien, die Stadt Rom und das* Patrimonium S. Petri *haben, Jena 1709. 4.* 32)

EIVSD. *Erſte Fortſetzung dieſes unwiederrufflichen Rechts, ibid. eod. 4.*

EIVSD. *andere und letzte Fortſetzung des unwiederrufflichen Rechts* etc. *ibid. eod. 4.*

Per Imperatorum ſeriem Imperii in Italiam ius deducit, quantum valet accurate ſatis, ſubſidiorum enim copia, quam eiusmodi labor poſtulat, inſtructus non videtur Cl. Autor.

*Io. Wolfg.* IAEGERI Diſſert. de Iuribus Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris Caroli VI. in Romam et Italiam, *Tubingae 1718. 4.* 33.) quae quidem, qualis a theologo expectari poteſt, ſua non defraudanda laude.

EIVSD. Continuatio iurium Caeſ. Mai. in Italiam. *ibid 1718. 4.* 34)

In vrbem autem Romam et Romanos pontifices Imperatorum et Imperii ius declarant

*Burc. Gotth.* STRVVII Vindiciae iuris imperatorii aduerſus vrbis Romae epiſcopos ab ipſis Auguſtis factae, ductis a tempore repurgatae in Germania doctrinae Chriſtianae initiis, *Ienae 1717. 4.* quas dein earum Autor et tunc reſpondens ſupra laudatus Conſultiſſimus *Chriſtianus Gottlieb* BVDERVS auctas et reuiſas ſuo nomine publici iuris fecit, *ibid. 1719. 4.* Reperiuntur hic egregia iuris imperialis fundamenta.

*Dietr. Herm.* KEMMERICHII Programma de Iure Imperatoris circa electionem pontificis, *Witteb. 1725. 4.* quod, quamuis ſit breuiſſimum, ſua laude tamen non eſt priuandum.

*Euerardi* OTTONIS Diſſ. de Iure Imperatoris circa Electionem Ponti-

32) Prodiit et autoris nomine non addito, ſub tit: Seiner Römiſchen Käyſerl. Maj. von wegen des heil. Römſchen Reichs Teutſcher Nation unſtrittiges Recht nicht nur auf Parma und Piacenza ſondern auch ſo gar auf gantz Italien 1709. 4.

33) Et haec eadem eſt cum illa, quae titulo gaudet: Roma cum Regno Italiae antiquiſſimo ac vero ſuo domino Auguſtiſſimo Romanorum Imperatori Carolo VI. e iuribus ſacris et profanis vindicata a *Io. Wolfg.* IAEGERO, *ibid* 1718. 4.

34) Hanc fide *Cel. Burc. Gotth.* STRVVII Biblioth. Iur. Select. (edit. Ienae. 1725. 8) C. XIV. §. LI. p. 678. damus, num hic duobus, quos adduximus, vnius ſcripti, titulis fortaſſe deceptus fuerit nec ne, in medio relinquentes.

Pontificis, *Traiecti ad Rhen. 1722. 4.* et inter Dissertationes eius ibid. iunctim editas.

*Io. Burc.* MAII de Romani Pontificis electione Caesarumque circa eam Iure Commentatio, vna cum EIVSD. Disquisitione de Friderico I. Aenobarbo Imperatore ab Alexandro III. pontifice pede non conculcato, et praefatione, de variis Pontificum, iisque iniquissimis, aduersus Caesares, Reges ac Principes, molitionibus, et ab Christi Vicariis, quales se iactant, longe alienissimis, studio *Henr.* MVHLII, *Kiliae, 1729. 4.* Praefatio opere ipso paene maior euasit.

*Simon. Henr.* MVSAEI, Oratio, qua ostenditur, pontificem ad hospitia, frumenta, caeteraque, quae ad annonam pertinent, Caesareo militi, quin etiam ad ipsa tributa Romanorum Imperatori Augusto ex prouinciis ab Episcopo vel Ecclesia Romana possessis, conferenda, obstrictum esse, *Kilon. 1708. 4.*

Defensio Augustissimi Romanorum Imperatoris Iosephi contra Curiae Romanae Bullas instituta a *Io. Wolfg.* IAEGERO *Tubing. 1709. 4.*

Plures quidem sunt, qui Imperatorum in pontifices imperium, data opera, asseruerunt, quibus vero locum hic dare spatii angustia haud permittit. 35)

Imperii Romani speciatim ita dicti fines Imperatorumque in illud ius egregie illustrauit Controuersia Comaclensis, quae Duumviros Eruditione clarissimos *Ludouicum Antonium* MVRATORIVM puta pro Imperii et Atestinae domus iure pugnantem, et *Iustum* FONTANIN. Romanae sedis iura defendentem, habuit, quorum disceptationes nonnullas doctissimas Autorum index commonstrat, pleniorem vero, quid quod absolutam fere omnium quae in notissima hac caussa vnquam prodierunt, scriptorum notitiam suppeditat Cel. STRVVII Biblioth. Iuris citata Cap. XIV.



35) Horum numerum haud exiguum collegerunt *Simon.* SCHARDIVS, cuius de Imperiali Iurisdictione, auctoritate et praeeminentia Imperii atque Iuribus Regni Syntagma tractatuum prodiit *Basil. 1566. f. Argent. 1609. f.* *Melchior* GOLDASTVS, in Monarchia S. R. I. seu Tractat. de Iurisdictione Imperiali seu Regia, et Pontificia seu sacerdotali, deque potestate Imperatoris ac papae, cum distinctione vtriusque regiminis, politici et ecclesiastici. Tom. I. *Hanouiae* 1611. seu 12. *II. Franc. ad Moen. 1614.* (*et 1621.* sub tit. voluminis III.) *et Tom. III. ib. 1614. f.* Quos omnes recenset STRVVIVS l. c. Cap. XIV. §. 49. p. 665. seq. aliorumque non paucos addit ibid. §. 50. p. 675. seq. Hic autem inprimis eorum tantummodo habita fuit ratio, quae in STRVVIO frustra quaeruntur.

§. 50. p. 878 sequ. quae quum sit in omnium manibus, et innumerus librorum numerus, cunctos recensere, nec tempus nec spatium sufficit. Eos itaque solum, quorum STRVVIVS notitiam habuit nullam, addere lubet. Illorum in numero sunt

Istoria dell' antica città di Commachio da *G. F.* FERRO, *Ferrara 1701. 4. c. f.*

Obseruations sur une lettre intitulée: La souverainité temporelle du Siége Apostolique sur la ville de Commachio durant l'Espace continuel de dix Siecles, *Haye. 1710. 4.* Quae quidem versio est Gallica scripti Italica lingua compositi, cui titulus: Obseruazioni sopra vna littera intitolata etc. v. STRVV. l. c. p. 752.

Risposta a varie scritture contra la S. sede in Proposito di Comachio, publicate dopo l'anno 1711. *in Roma* 1720. 4.

Regni denique Italiae cum Germania nexum celebratissimum reddiderunt celebratissimae pariter controuersiae, Florentina et Parmensis. In Florentina extant:

*Io. Iac.* MASCOVII Exercitatio Iuris Publici, de Iure Imperii in magnum ducatum Etruriae, *Lipsi. 1721. 4.* Quae vti inter eos, qui praeclari quid scripserunt, prima tempore, primam quoque laudem tenuit.

*Geschichtmässige Vorstellung von den Gerechtsamen der Teutschen Kayser und des Heil. Röm. Reichs auf das Groß-Herzogthum Florenz, denen zugleich die von Florentinischer Seite gemachten Einwürffe und derselbigen gründliche Wiederlegung, nebst einer ausführlichen Nachricht von denen Florentinischen* Historicis *beygefügt, von* BRACCIANO (i.e. BERENDS) (*Leipzig*) *1722. 4.* Antecedentis eruditissimae dissertationis versio est haec commentatio cum variis additionibus, inter quas elegans illa Florentinorum scriptorum Bibliotheca, quae in calce est adiecta, opusculum inprimis commendat.

Memoire sur la liberté de l'Etat de Florence, *1721. 4.* Cuius Autorem *Ill.* GVNDLINGIVS FARSONI appellare solet. Caussam is quidem malam glossatorum obscurorum testimoniis magis adhuc obscuris et eiusmodi aliis leuissimi momenti argumentis, tueri omnem mouet lapidem.

Examen du Memoire sur la liberté de l'Etat de Florence 4. Brevissime quidem, sed vti ipsi semper mos est, elegantissime et argumentis, omni exceptione maioribus, FARSONVM refellit *Excellentissimus* AVTOR, quem quidem MASCOVIVM nostrum esse, omnibus constat.

*Nic.*

*Nic. Hier.* GVNDLINGII Dissertatio de Iure Augustissimi Imperatoris et Imp. in magnum Etruriae ducatum, *Halae, 1722. 4.* Quae, quum sit mea laude iam longe superior, nec est quod addam vlterius.

*Sim. Frid.* HAHNII Ius Imperii in Florentiam ex monumentis editis et ineditis ipsisque Etruscis scriptoribus inde a Caroli M. aetate per omnia saecula solide ostensum, et a speciosis obiectionibus commentatoris nuperi de Florentini status libertate plene vindicatum, *Halae 1722. 4. maj.* Magna profecto diligentia congestum, et ingenti praestantissimorum testimoniorum copia exornatum sese nobis praebet praesens scriptum, prouti omnia Clarissimi Autoris reliqua volumina.

*Frid. Ludov.* Nobilis Domini de BERGER Vindicatio Iuris Imperialis in magnum Tusciae Ducatum, siue confutatio scriptionis, cui titulus: Memoire sur la liberté de l'Etat de Florence, *1723. 4.* quos quidem commentarios huic acessisse scripto contendit STRVV. l. c. p. 684. Mihi vero nunquam ibid. sese obtulerunt. Labor illustri Autore non indignus.

*Historische Nachricht von dem Lande Tuscien, oder dem Groß-Herzogthum Florenz, worbey nach denen Reichs-Rechten die Hoheit des Teutschen Reichs von den ersten Zeiten an biss an gegenwärtige Veränderungen angeführet wird, aufs neue durchsehen und vermehret* 36) *von* Iacob Paul von GVNDLING, *Francfurt 1723. 4.*

Noua eaque plena assertio iuris, quod S. Caesareae Mai. ac S. Imperio in magnum Tusciae competit ducatum, siue confutatio scripti nuper *Pisis* ex aulae Florentinae iussu editi de Libertate Ciuitatis Florentiae eiusque dominii, *1725. fol.* Amplum satis scriptum, et in quo multa interdum inuenies, quae in aliis frustra quaesiueris.

In Parmensi autem inclaruerunt, et pro Imperatore et Imperio quidem

*Simon. Henr.* MVSAEI de iuribus in Parmae et Placentiae ducatibus a pontifice male praetensis vel vsurpatis Commentatio *Kilon. 1709. 4.* quae spissa satis, sed parum curate elaborata.

EIVSD. Ius Dominii directi in Ducatus, Parmensem et Placentinum



36) Mira equidem fuit, quae huic scripto ansam dedit, occasio. Prima enim vice, *Wratislauiae* a Celeb. Autore, ibidem tunc per aliquod temporis spatium commorante, conscriptum, prodiit *an. 1717. in 8.* et simul insertum legitur Parti 54. Actor. Eruditor. German. anni 1718. Ex historiarum tantummodo monumentis, quae Autori sine dubio ad manus fuerunt, deprompta est haec Comm. v. *Gelehrte Zeitung*, An. 1717. n. 62. p. 498.

cum specimine adnotationum ad Declarationem Nullitatis Clementis XI. in hac caussa editae, *Kilon. 1709. 4.* 37)

*Godofredi* RVHLMANNI Conatum v. supra.

*Burc. Gotthelf.* STRVVII De Iure Imperii in Ducatum Parmensem et Placentinum Programma, *Ienae 1711. 4.* quod Syntagmati Iuris Publici ab eodem Autore edito deinde accessit.

ZARI Parma Imperialis. Quem quidem librum in Italia prodiisse constat. Annus vero et locus cum forma me latent.

*Iusti Henning.* BOEHMERI Vindiciae Imperiales pro Parmae et Plancentiae ducatibus, *Halae 1722. 4.* Quae dissertatio in hac caussa principem omnino meretur locum.

*Iac. Paul von* GVNDLING *Historische Nachrichten von denen Hertzogthümern Parma und Placentza und derselben Dependenz vom Römschen Teutschen Reich, nach Anleitung der Teutschen Reichs-Rechten, Franckf. 1723. 4.* v. quae supra de EIVSDEM AVTORIS Disquisitione in Florentina controuersia monita fuerunt.

Dissertationes X. de Iure Augusti et Romani Imperii in Parmae et Placentiae ducatibus *Amst. 1729. 4. mai.*

Pro Pontificis iure

Della Istoria del dominio temporale della sede apostolica nel ducato di Parma et Piacenza Libri III. (da *Giusto* FONTANINI) *in Roma 1720.* 4. Eiusdem latinae versionis titulus est:

Historia summi Imperii Apostolicae sedis in Ducatum Parmae ac Placentiae, *Romae 1721. 4.* Causam hanc defensurus Celeberrimus autor, quae lubricis nititur fundamentis, et ad eiusmodi testes, donationes puta Pipini etc. de quarum fide non constat, confugere necesse habuit.

Dissertazione sopra la natura e qualità della Città di Piacenza e Parma *fol.* Gallice vero sub tit.

Dissertation historique sur les Duchez de Parme et Plaisance *1722. 4. Mai.* Quam dissertationem pontificis legatus pro Romanae curiae iuribus componi curauit, quum Cameraci Europae Principum Legati, de pace vniuersali Europae danda, essent congregati.

Plura de controuersia vtraque detegere scripta non licuit. Sed et praeterea de Imperii in Italiam iure notari merentur:

*Gabr.* SCHWEDERI Dissertatio de Iure Sacratissimi Imperatoris et Imperii in Ducatum Mediolanensem, *Tubingae 1708. 4.* quae non spernenda continet. *Kurtzer*

37) v. STRVV. l. c. p. 684. cui huius debeo disquisitionis titulum, opusculum autem ipsum inuenire non datum fuit.

*Kurtzer jedoch wahrhafftiger Bericht, in welchem klärlich bewiesen wird, daß das Hertzogthum Meyland des H.R. Reichs unstreitbares Mannlehn sey.* 4. 38)

Caroli V. Imp. Aurea Bulla de Iure et ordine succedendi in Ducatum Mediolanensem, cum eiusdem Ducatus inuestituris Caesareis tum aliis, tum quae ab Augustissimo Imperatore Leopoldo I. regibus Hispaniae Philippo IV. et Carolo II. concessae sunt, 1701. 4. Praeter Acta publica, quorum titulus mentionem facit, nihil vlterius continet. 39)

Ducatus Mantuae, s. Disquisitio Iuridica articulis sex comprehensa, ex iuris vtriusque et feudalis fontibus eruta, et edita pro Sereu. Princ. Carolo Duce Mantuae et Montisferrati legitimo successore in iisdem ducatibus, autore *Franc. Nigro* CYRIACO. Accessit disquisitio alia in eadem causa conscripta a *Frid.* BOSIO, *1629.* 4. Prodiit vtraque in Celeb. Mantuanae successionis caussa, et huius ducatus ad imperium rationes non parum illustrat.

*Petri Bapt.* BVRGI Disquisitio de Dom. Genev. reipubl. in mari Ligustico, *Rom. 1641.* 4. quae Genuensium in dicto mari dominium, imperatorum beneficio, multis diplomatibus euincit.

Examen de la liberté originaire de Venise traduit d'Italien, avec une Harangue de *Louis* HELIAN Ambassadeur de France contre les Venitiens traduite de Latin et des Remarques historiques sur la Copie de *Ratisb. 1677.* 12. 40)

Venetorum rempub. inde a prima sua origine Gothorum, Langobardorum, Italiaeque regno ac Germanorum Imperio subiectam fuisse, egregio plane studio deducit Ill. Autor, quem nobilem Hispanum dicunt.

*Pietr.*

---

38) Scripti huius autorem esse B. Consiliarium aulicum Boruss. Regis *Zach.* ZWANTZIG, quem duo eruditissima de Imperii Iure in Ducatus Sabaudiae et Mediolani, scripta, motu cuiusdam summi Caesarei Ministri, euulgasse memorat *Iac. Paul von* GVNDLING l. c. non vna est, quae ad credendum inducit, ratio v. quae supra de Sabaudia disserui inter scriptores de Burgundici regni cum Imperio nexu. Breuiter quidem hic, ast perspicue satis, Mediolani conditionem erga Imperium feudalem ostendit autor, quisquis sit. ZWANTZIGII autem labores citatos, siquidem ab his, quos coniectura assequi tentaui, diuersos, deprehendere datum fuit nullos.

39) Extat et in collectione, quae inscribitur: Fontes Iuris succedendi in regna Hispaniae vt et in ducatum Mediolanensem ex legibus eorum fundamentalibus deriuati 4. quamque *Vlr.* OBRECHTVM *Argentorati* in lucem edidisse scribunt. *Ibidem* impressam esse, e chartae et litterarum ratione coniicere licet.

40) Itala lingua primum prodiit praestantissimus hic libellus titulo ornatus: Squitinio della Libertà Veneta *in Mirandola 1612. 4. et ibid. 1619. 8.* Cui dein reipublicae iussu sese opposuerunt. *Theod.* GRASWINCKELIVS de Libertate Veneta, *Lugd. Bat. 1634.* 4. conatu licet prorsus impari, creatus tamen ideo a republica S. Marci eques, et *Rafaele* della TORRE cuius extat: Squitinio della Republica di Venetia d' Autore incognito Squitiniato, *in Genoua 1603.* 4.

*Pietr.* GIANNONE dell' Istorie Ciuile del regno di Napoli, *Nap.1723.4.4.voll.* Ob imperii iura strenue inibi defensa damnatus a pontifice Viennam aufugere coactus fuit Cl. Autor. Acta, hac de re, curiosa admodum, exhibet Celeb. *Io. Erh.* KAPPII Historia Concilii Lateranensis nouissimi, mox lucem visura. Disquisitio de Imperio Adriatici maris Augustiss. Imperat. e iuris Imperialis capite vindicato, quam breui cum erudito orbe sum communicaturus.

Et haec sunt fausta satis atque felicia fata, quibus a prima sua origine ad nostra vsque tempora vsa est illustris doctrina de Imperii nostri finibus. Non dubito, quin etiam in posterum reperiantur VIRI, qui eruditione et labore suo magis magisque illam sint ornaturi. Hoc quidem loco titulos tantum librorum atque dissertationum apposui, quod nec spatii angustia permitteret vlterius digredi, et peculiari operae pleniorem tractationem sepossuerim. In indicibus concinnandis primum locum dedi diplomatibus, quae chronologico ordine dispossui, eorumque semper argumentum vna cum initio, fine testibusque subscriptis recensui. Haec enim omnia ad cognoscendam chartarum genuinam indolem, et quo sincerae a spuriis fictisque, aut, vt ita loquar, interpolatis, eo facilius queant secerni, multum conferre, quid quod vtramque interdum facere paginam, iis notum optimeque perspectum est, qui praeclarissimae huius scientiae praestantiam curae cordique habent. Speciminis etiam loco illum orbis litterati iudicio subiicere placuit, edendae hoc modo collectionis diplomatum vniuersalis. Autorum construere indicem eo magis operosum fuit, quo difficilius erat coniectura assequi, quos autorum, qui plura scripserunt, libros, intellexerit. *Ill.* GVNDLINGIVS, quum non librorum titulos, sed nuda scriptorum nomina plerumque citauerit. Attamen quum copiam, sane maximam, librorum praestantissimorum, rarissimorum et vix vllibi obuiorum deprehenderim, communis omnium vtilitas et suscipere laborem, et superare illum, a me iure quodam postulare sibi visa fuit. Periculum igitur feci, integrosque librorum titulos adposui, variis editionibus, vbi necesse fuit, adiectis, notisque quibusdam inspersis. Est autem rerum index breuior quidem ille, vtpote in speciali argumento. Caeterum si Lector Beneuolus errores forte deprehenderit, prosit mihi illud Poetae: *Conamur tenues grandia.*

DE IVRIBVS

# DE IVRIBVS IMPERATORIS ET IMPERII IN MAGNVM ETRVRIAE DVCATVM.

EXspectant Itali, differunt pro se Florentini, audiunt Europaeae gentes, quae dicuntur et scribuntur, ac totus denique orbis exitum successionis luculentissimae anxie praestolatur: dum interea quoque Germani inque primis augustissimus IMPERATOR cum Imperio pro juribus suis in Etruriae magnum Ducatum vigilant, nec de iis sese temere depelli permittunt, variis argumentis ac rationum

ponderibus innixi, quae nos quoque in praesenti curatius circumspiciemus, id inprimis operam daturi, ne vel falsa opinatio in animis legentium radices agat, vel veritas suppressa, frendentibus licet inimicis ac variis hinc inde libellis volitantibus, fatiscat.

## §. II.

Neque enim ignotum est cuiquam, maxime nunc disceptari de libertate Florentinorum eorumque immunitate ab omni obsequio et imperatoria potestate; quam sicuti magno molimine tueri satagit ἀνώνυμος scriptor in singulari volumine, quod *de libertate Status Florentini* Gallico idiomate praescripsit; ita nos obnixe agemus omnia, vt, quam ficulnea et leuia eius sint argumenta, vniuersi ac singuli persentiscant. Quem in finem totam tractationem nostram tria in capita dispescemus, quorum PRIMVM facti speciem e genuinis documentis atque auctoribus aequalibus exhibebit, ALTERVM dubia ex iure remouebit; atque TERTIVM denique ea, quae ex facto obiiciuntur, diluet. Faxit DEVS, vt, quae animo intendimus, felicissime succedant!

CAP. I.

# CAP. I.
# FACTI SPECIES
## DE
# SVBIECTIONE TVSCIAE
## INQVE PRIMIS FLORENTIAE.

### §. I.

AC ponimus, Florentinam ciuitatem in Etruria, seu Tuscia hancque in Italia sitam ad Langobardorum regnum olim pertinuisse: quod cum sit ad Carolum Magnum eiusque Successores translatum, verisimile sane fit, Florentiam aeque, atque cetera in Italia oppida, prouinciae ac terrae, eius fuisse imperio subiectam.

### §. II.

Sunt quidem, qui hanc vrbem a Totila Gothorum Rege captam et a Narsete denuo expugnatam Caroli M. auspiciis non solum refectam, sed et binis Consulibus ac C. senatoribus instructam scribunt. Minimum Florentini historiarum auctores plerique hanc veritatem velut indubiam atque inconcussam statuunt: libertatem crepantes, vbi nulla erat, sed ad nutum Caroli eiusque posterorum omnia componebantur. Duntaxat hoc legitur in annalibus Metensibus ad a. 786. Carolum *celebrasse natalem Domini in Florentia ciuitate.* Quidam de paschate aliquid inspergunt, quod perspicue falsum, cum festos hosce dies Attiniaci in Gallia eum transegisse ex Eginharto aliisque annalibus constet. Nec maiori fide dignum, quod de direptione ac euersione Florentinae coloniae a Totila tra-

dunt. Etsi enim Procopius Lib. I. *de Bello Gothico* narrat, Regem hunc oppugnasse Florentiam; neutiquam tamen adfirmat, eam fuisse captam, multo minus euersam; immo potius infectis inde rebus Totilam discessisse idem historicus perhibet. Agathias Scholasticus autem, vtut Narsetem, missis maioribus oppidis, Florentiam sese contulisse scribit, nihil tamen de expugnatione aut excidio litteris consignauit vnquam et vsquam. Quo circa haud temere Vincentius Borghinius, quem magni faciunt eruditi, in Dissertatione: *Se Firenze fu disfatta*, quae parte II. operum inuenitur, animum inducit p. 287. omnia quae de refectione huius ciuitatis et institutione Consulum Senatorumque circumferuntur, falso propiora, quam vero videri. Qua in re me valde habet consentientem. Excidio enim non probato, perperam sane de refectione disputatur.

## §. III.

In eo autem idem Borghinius magnopere a scopo abludit, quando a seruitute Langobardorum prorsus liberam Florentiam eiusque agros existimat manifesto adulationis vitio caussae suae inseruiens. Quippe admodum inficetum est, Carolum M. Langobardorum tantum Regem fuisse, Italiae nequaquam; eoque Etruriam iste a Langobardorum regno insulse separat, libertatem illi tribuens, hanc sub iugo relinquens: quod sane veteribus monumentis ita repugnat, vt potius certissimum sit, quod Baronius a DXCI. n. 41. testatur: *Longobardorum regnum a tempore S. Gregorii adeo late in Italia patuisse, vt vniuersa, exceptis Roma atque Rauenna, cum locis ad eum spectantibus, ab Alpinis montibus Rhegium vsque Calabriae, illis pareret.* Vnde merito colligitur, nec Etruscos inde eximi recte, sed hac parte ad Anticyras iure relegari BORGHINIVM,

NIVM, vtpote qui ex Gregorii M. epistolis, et Paulo Warnefrido discere veriora potuisset: vt Agnellum taceam Rauenatensium Episcoporum seriem tradentem, qui nondum Borghinii aetate publicam lucem adspexit.

§. IV.

Quae cum ita sint, consequitur certe, vt, qui de Florentinorum populo tam magnifice loquuntur, certioribus probare argumentis necessum habeant, Tusciam et, quae in hac regione est, Florentiam liberiori iure frui coepisse. Neque enim popularem errorem, qui multis scriptoribus est familiaris, sequimur, ac peculiares et suo iure uiuentes Respublicas somniamus, vbi tenues ciuitatum fortunas quodammodo obseruamus auctas. Saltem de Carolo suspicari nemo cum ratione potest, eum Domini natalem Florentiae transacturum fuisse nisi et haec ciuitas eius dominio atque imperio sese subdidisset. Deinde velut notissimum ex Annalibus Metensibus ad a. 773. sumitur, *Carolum Papiam ciuitatem cepisse et Desiderium Regem cum vxore et filia et omnibus thesauris suae ditioni subegisse; ibique venientes vndique Langobardos de singulis* CIVITATIBVS ITALIAE DOMINIO GLORIOSI CAROLI *se* SVBDIDISSE.

§. V.

In hisce ciuitatibus autem Tusciae tam superioris, quam inferioris municipia, colonias ac terras fuisse, nemo est, qui dubitet. Ipse Hadrianus Pontifex Romanus e Tusciae superioris partibus, quae indubie ad Longobardorum regnum pertinuit, aliquas ciuitates noui Regis largitione accepit; in quibus hae in donatione Carolina recensentur: *Castellum felicitatis, Vrbeuetum, Balneum regis, Ferenti castrum, Viterbium, Marta, Tuscania, Populonia, Soana, Rosellae.* Quo pacto vanum apparet Borghinii commen-

tum, quando Tusciam integram Langobardorum regno eximere satagit. De inferioris Tusciae partibus, quae ad Graecos Imperatores pertinuit, sermo nobis nullus est, constatque aliunde, quid Ludouici pii liberalitate ad patrimonium Ecclesiae Romanae, saluo semper Imperatorio iure, peruenerit. Nemo miretur, Tusciam sic a nobis diuidi, cum notante Antonio Pagio in *Crit. Baron.* Tom. III. ad a. 787. n. 8. ipsi Imperatori Ludouico Pio talis diuisio arriserit.

## §. VI.

Et verisimillimum autem est, ea, quae aliis non concessa plene, in Regum dominio eorumque sub imperio mansisse. Minimum de Florentinis nihil innotescit, eos meliori sorte et fato fuisse beatos. Immo vero ad liquidum ab aliis iam perductum est, Carolum Crassum vltimum in Italia ex Carolingis masculis legitimis, *sua Decreta in omnibus Parochiis, Comitatibus & Marchiis per totius sui Imperii fines in toto regno Romanorum et Langobardorum et Ducatibus Italiae, Spoleti et* TVSCIAE *iussisse* obseruanda. Dedit hanc in rem excerpta L. Antonius Muratorius in *Antiquitatibus*, quas ante biennium emisit, *Atestinis;* ostenditque simul, totum Langobardorum regnum in tres Ducatus esse diuisum, SPOLETI puta, ITALIAE, TVSCIAE. Ducatus appello, quos alii haud raro *Marchias* nominant; et illos vero Regum auctoritate et beneficio, non autem haereditario iure in filios transiuisse multis exemplis ac rationibus comprobari posset. Sed sufficit hoc ex annalibus Lambecianis Fuldensibus de Carolo Crasso ostendisse irrepentem in Italia morem insolitum tollente. *Imperator*, inquiunt, *omne tempus aestiuum mansit in Italia, animosque optimatum regionis illius contra se concitauit, nam Vuitonem aliosque nonnullos ex-*

*exauctorauit, et* BENEFICIA, *quae illi et patres, et aui, et ataui illorum tenuerant, multo vilioribus dedit personis. Quod illi grauiter ferentes, pari intentione contra eum* REBELLARE *disponunt, multo etiam* PLVRA, *quam ante habuerant, sibi vendicantes.*

§. VII.

Tametsi vero Itali, Carolo Crasso exauctorato, alios, quam qui essent Germanorum Reges, Dominos circumspicerent; est tamen exploratum, neque sic Italiam ad libertatem peruenisse; sed variis potius calamitatibus ac turbis laceratam Berengario et Vidoni, Ludouico Bosonidi et Rudolpho Burgundo, Hugoni et Lothario, Berengario et Adelberto eo, quod inter Carolingos et Ottonem M. intercesit, temporis interuallo paruisse. Saltem Tuscia suos semper Marchiones et Comites habuit; quin Episcopi et Abbates iura ac priuilegia a dictis Regibus recognouere, suos interea loculos de eorum bonis haud parum augentes.

§. VIII.

Non est necesse, vt singulorum Tusciae Marchionum et Comitum catalogum conficiamus: Occuparunt alii hanc iam oppellam; nec desunt in *Gundlingianis part.* XXI. *n.* 2. quaedam huc referenda. Solum de Huberto et Hugone M. filio ac nepote Hugonis Italiae Regis memorabimus non nulla, vt, qua auctoritate Ottones Italiae regnum sibi subiectum tenuerint, innotescat. Quanquam enim hic Hubertus inter alios Italiae proceres Ottonem M. contra Berengarium in Italiam vocauerat; euenit tamen, vt is iram Ottonis declinans in Hungariam abire cogeretur, quum in re leui obedientiam detrectaret. Memorat id Petrus Damiani opusc. LVII. differt. II. c. 3. *Hic non multo post tempore indignationem primi Ottonis incurrit,*

*rit, ac subinde relicta Coniuge* (*), *Pannoniam profugus exulauit, quo cum, longo post tempore resumtus, in gratiam rediit.* Hac cum periodo coniungenda sunt Luitprandi verba, qui Hubertum *Tusciae prouinciae potentem principem* nominat: manifesto argumento, nihil hac aetate libertatis Florentinis competiisse, Ottone M. cum auctoritate regnante et Huberto opibus non spernendis in Tusciae partibus efflorescente.

## §. IX.

Vnde nec ipse Sigonius de Florentinorum republica magnifice sentire ausus est ante Ottonis II. III. et Henrici II. imperium. *Per hoc tempus*, scribit Libr. VIII. de Regno Italiae p. 187. *tres populi parum adhuc in Italia aut rebus gestis, aut principum beneficiis ad memoriam hominum celebrati praeclaris rebus gerendis vniuersae oculos in se Italiae conuerterunt, Genuenses, Pisani et Florentini. Genuam Ligures, Pisas Graeci, Florentiam Romani condiderant. Pisanorum autem apud Veteres multo est fama illustrior. Genua oppidi, Pisae et Florentia coloniae nomen tulerunt. Verum Pisae ciuium Romanorum, Florentiae militaris deducta est, et quidem illa florente populo, haec triumuiris summam rerum tenentibus. Cunctae autem diras superioribus barbarorum irruptionibus calamitates, aerumnasque perpessae tenues admodum opes vsque ad ipsum Germanorum Imperium habuerunt. Hoc autem tempore Genuenses et Pisani ad inferum mare locati, exemplo Venetorum, qui superum incolebant, rem tractare naualem non*

(*) Haec Willae habebat nomen, Bonifacii Spoleti et Camerinorum Ducis filia, cuius opibus haud parum aucta est potentia Huberti.

*non mercaturae solum, vt ante, sed etiam rei militaris causa coeperunt. Occasionem autem dedere Saraceni, qui piraticam exercendo nauigationem Italiae prope omnem ademerunt et proximis insulis occupatis Liguriae atque Etruriae orae indies impotentius insultabant. Itaque dum praedones insectari, et Saracenos partis pellere sedibus contenderunt, breui patientibus ipsis Regibus, atque annuente Pontifice tantum sibi potentiae pepererunt, vt nomen suum extra Europae fines, ne dum ipsius Italiae propagarint. Florentini vero cum se terrestribus quaerendis opibus dedidissent, vt qui interiora Etruriae colerent, primum Faesulanos capiti suo in colle imminentes tollere studuerunt, deinde cum vicinis bella serere nunquam desiterunt.* Quae Sigonii opinio sicuti nullius antiqui auctoris testimonio fulcitur; ita nec doctissimo Antonio Pagio in Critica Baronii ad a. 1014. n. 17. probatur, *initia harum Rerumpublicarum tenebris plena* adseueranti. Quin ausim dicere, recentiores Florentinorum scriptores ad vnum omnes nil nisi Milesias fabulas venditare de suorum illo in saeculo potentia; sed quas merito cordatiores rident cumque Saxonis Grammatici quisquiliis haud inepte comparant.

§. X.

Id certum, Hugonem M. in patris Huberti locum succedentem diuitiis abundasse, ac Tuscos omnes magna gloria rexisse: imperatoriis interea partibus fideliter addictus; cum Romani turbas excitarent, Graeci et Saraceni in Italiam irrumperent, nonnullae ciuitates turres in vicinorum perniciem exstruerent, nec ad quietem tolerandam sese fere omnes componerent. Legitur quippe apud Chronographum Saxonem Leibnitianum, eum ad Theophaniam in Saxoniam aduolasse, ac Neomagum vsque comitem sese illi Ottonique puero praebuisse. Ex quo factum

ctum coniicio, vt cum Ottoniana familia arctiori affinitatis nexu sese copularet. Est enim perquam verisimile, eum Ottonis Franci Carinthiae Ducis, ac Marchionis Veronensis filiam Iuditham in matrimonio habuisse; de quo in *Gundlingianis* loco excitato coniecturae occurrunt forte non leues. Haec Iuditha vero Brunonis, qui Gregorii V. nomine innotuit, et Henrici soror fuit, consanguinea propterea Conrado Salico sacratis in tabulis nominata, quas nobiscum communicauit Placidus Puccinelli in *Chronico Abbatiae Florentinae* p. 235. Nec latet, Hugonem hunc tertio speciatim adstitisse Ottoni, cum Crescentium Romae tyrannidem affectantem in suam potestatem redigeret; ciuesque Romani tumultus cierent frequentes. Quid? quod exstat epistola ad Gerbertum Pontificem, Syluestri II. nomine inclarescentem, perscripta, in qua fidei ac defensioni Hugonis Marchionis eum commendat. Quis vero iam credat, Florentinos sub Hugone Duce ac Marchione potente ausos hiscere? Sed ne tamen animum inducat quisquam, forte nec Tusciae Dominum coluisse Imperatorem, ecce argumentum satis validum, nec in speciem excogitatum. Quascunque enim ecclesias exstruxit Hugo, quaecunque iisdem largitus est bona, CAESARIS CONSENSV vel praecedente, vel comitante, vel consequente dedit. Refert laudatus Puccinelli in *vita* huius Principis plures hanc in rem tabulas, vnde summum Imperatoris atque Italiae Regis imperium elucet, vnde quoque cultus Tuscorum in Ottonem apparet; adeo vt admodum facetus videatur, qui de Florentinorum libertate aliquid per somnum commentetur, aut commentis eiusmodi tribuat fidem. Ipsa Abbatia, quae Florentiae S. Mariae est dicata, REGALIS et IMPERIALIS dicitur; extatque diploma, quo Otto II. et III. eam multis pri-

priuilegiariis iuribus cumularunt, ac sanctione poenali muniuere, minitati legis temeratoribus mala omnia. Absurdum vero dictu foret ac difficillimum creditu, si quis Florentiam in qua est illa Abbatia, exciperet, nec fulmina Ottoniana aliorumque Imperatorum attingere illam ciuitatem iactaret; quandoquidem iam tum temporis fuisset libera. Potius credibile est, ipsum Hugonem timuisse, ne forte ciues Florentini, vel alii potentiores istius ecclesiae commodis aliquid detrahere aliquando satagerent; cuiusmodi ausibus Imperatorium nomen censuit opponendum. Nec silentio praetermittendum, eundem Hugonem Imperatoris sese vicarium nominasse; cumque multa monasteria suis sumtibus exstructa largiter dotasset, impensis ab Imperatore Ottone, et, qui ei succederent, precibus contendisse, vt potenti manu, quae stabiliuisset, tuerentur. Quae sicuti sine auctore et testibus neutiquam scribuntur; ita tabulae hanc in rem apud Puccinellum leguntur omni exceptione maiores.

§. XI.

Vtut vero Hugo ille M. sine mascula subole obiit, atque Bonifacius Ribuarius interea in Tuscia regimen obtinuit, qui se Alberti filium vocat; certissime tamen e chartis huius marchionis innotescit, eum multa liberaliter saepe dictae Abbatiae, quae intra muros Florentinos reperitur, donasse; quae munera interveniente Rolando NOTARIO IMPERATORIS a MIX. consignata et ab Henrico Sancto a MXII. scriptis hanc ob caussam litteris ita obseruantur roborota, vt poenam FISCO inferendam clare expresserit, si quis praeceptis regiis contra ire vllo modo auderet. Ipsa illa instrumenta e manuscriptis Constantini Caietani Abbatis Romani publici iuris fecit laudatissimus Puccinelli felici ad posteritatem diligentia, cum os in-

de obstrui intempestiuis Florentinae libertatis defensoribus optime possit.

§. XII.

Quibus ita constitutis amplius nunc sumo, Bonifacium alterum, Mathildae Patrem, Tusciae Marchionatu a Conrado Salico esse donatum atque inuestitum. Saltem id haud obscure Petrus Damiani vt et Domnizo produnt; additque primus, post Reinerum eum esse ad muneris huius dignitatem euectum; secundus vero bene obseruat, Bonifacium hunc Tusciae Marchiam maiori cum auctoritate, quam non habuere eius antecessores, accepisse. Nullum mihi dubium haeret, quin ad Beatricis coniugis ac Mathildae filiae haereditarium ius digitum intendat.

§. XIII.

Quo tempore tantum abest, vt Florentini a Caesarea iurisdictione immunes sint redditi, vt potius certissimis documentis constet, Conradum Salicum fisci iura in ipsa ciuitate Florentina eiusque tractu exercuisse, bonaque ciuibus, qui Regis placita contempserant, adempta monasterio S. Mariae liberaliter destinasse, quae haud dubie adhuc seruat: minimum a ceteris Imperatoribus ea huic ecclesiae leguntur firmata. Meretur res, vt totum Imperatoris diploma hoc loco exscribatur:

*IN nomine S. et Indiuiduae Trinitatis. Conradus diuina fauente Clementia, Romanorum Imperator Augustus. Si Ecclesiasticae rei curam habere studuerimus, et eam ad vtilitatem, et proficuum Ecclesiae ordinando, et gubernando, siue defendendo reperimus diuinae retributionis praemium promereri, et Romani Imperii salutem corroborari minime ambigimus. Quocirca omnium Sanctae Dei ecclesiae nostrorumque fidelium praesentium scilicet, et futurorum nouerit vniuersitas, qualiter Nos pro Dei amore, animaeque nostrae remedio, et pro orationibus THEVZONIS ceterorumque Fratrum ibi commo-*

*morantium adipiscendi, siue ob interuentum* GISLAE *nostrae Contectalis dilectissimae, et* HENRICI *nostri karissimi filii tradimus, donamus et concedimus Abbatiae Florentinae in honorem S. Mariae constructae omnes terras, quae* FVERVNT *Bonini Cantoris, et Massarie, siue Rustichelli illorum Filii, nec non Donati filii Iohannis Teudi, quemadmodum per* BANNVM *vel* POTESTATEM *legaliter deuenerunt propter* NOSTRVM PLACITVM *quod contumaciter cum multis ciuibus contemserunt. Nominatiue vnam mansionem prope Mercatum* FLORENTINAE CIVITATIS, *aliam ex parte ciuitatis, vbi habitat Martinus Sichi filius, aliam superius prope ipsam Casam, quam tenet Martinus Comes; vnam quam tenet Oliuus faber, aliam vero, quam tenet Florentinus Rufus, aliam quam Iohannes Faber, vnam item, quam tenet Bonicius fraterque eius, quae sunt prope portam S. Mariae; Item prope pontem vnam, quam tenet Fusculus Clericus, aliam quam Gauzo cum fratre suo, vnam, quam Maiorandus Faber, aliam Iohannes Vitalis, aliam Barontus Castabelio, aliam Martinus Faber, aliam vbi habitat Albiza vidua, aliam Frusculus, aliam quam tenet Adalardus, aliam quam Barunculus, aliam Raginerius, aliam Senucius, aliam Valterius, aliam Gerardus, et aliam quam tenet Florentius filius Bosi et quaecunque Donatus habuit, vel tenuit in Ponticello, et in Paterno, et in Pedemontibus, et in Campo Castagneto, in Monticello, in Campo Anticorni et in quaecunque in Ponte Petrineo, in Ripula, in Vrballa, et quicquid habuit iuxta Flumen, quod vocatur Ima, in Runco cum omnibus suis pertinentiis, siue domnicatis, siue ab aliis detentis, et quicquid Rustichellus filius Bonini Cantoris tenuit, et habuit loco Signaria, in S. Quiricio, et in dictis locis, scilicet prope Pontem Florentinum simul cum vna Turri infra iam dicta ciuitate, et quicquid praedicti homines habuerunt infra Comitatum Florentinum et Fesulanum. Ea videlicet ratione, vt praedicta Ecclesia, suique Abbates habeant, teneantque, firmiterque possideant omnium hominum contradictione remota. Praecipientes itaque iubemus, vt nullus Dux, Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vice-comes, Sculdacius,*

*Castaldio, nullique nostri Regni magna, paruaque persona audeat praedictam Ecclesiam, suosque Abbates de iam dictis rebus molestare, inquietare, lacerare, vel sine legali iudicio disuestire. Si quis autem huius nostri praecepti violator extiterit, sciat se compositurum Auri Optimi libras C. medietatem* CAMERAE *nostrae, et medietatem praedictae Ecclesiae Abbati, suique successoribus. Quod vt verius credatur, et diligentius ab omnibus obseruetur, hanc paginam sigillo nostro iussimus inferius insigniri, manu propria roborantes.*
*Sign. Domini Chuonradi Augusti Inuictissimi Romanorum Imperatoris .... Episcopus, et Cancellarius, vice Herimanni Archicancellarii recognouit.*
*Datum X. Kal. Augusti Indict. VI. An. Dominicae Incar. MXXXVIII. An. Domini Chuonradi Regni XIV. Imperii XIII. Actum Vidulianae feliciter Amen.*

## §. XIV.

Quae si cum cura circumspiciantur, non puto aliquem sic eiuraturum omnem rationem ac pudorem, vt Imperatorum post Ottonianum saeculum viventium summam auctoritatem in ciuitate Florentina, quae est in Tuscia sita, in dubium sit vocaturus. Ipse Placidus Puccinelli hoc factum diligenter adnotat ac DONATIONEM CONRADI Imperatoris insignem vocat, quam fecisset *di diuersi terreni situati* NELLA CITA DI FIORENZA *et* SVO DISTRETTO *si come nel dominio et territorio di Fiesole, li quali terreni erano* STATI CONFISCATI PER BANDO. Quod si quis iniusto haec Imperatoris facinore eueniisse somniet, eum, hoc ne faciat, hortor, rogoque: cum certissimis argumentis constet, ea a dicta Ecclesia adhuc possideri, ac multorum Regum, sicuti iam dictum, Pontificumque tabulis esse confirmata. Cui addendum, Bonifacium illa adhuc aetate vixisse, nec Ducis seu Marchionis regimen obstitisse, quo minus Rex Conradus

radus obstinationem quorundam ciuium Florentinorum frangendo pro merito illos puniret.

§. XV.

Multo insulsius vero est, quando aliqui eo hodie prolabuntur, vt praeter habitationem, seu palatium intra Florentiae moenia plus habuisse nihil Mathildam, et Mathildae maiores illiberaliter iactent. Extat adhuc sententia Beatricis, quae Bonifacii et Godofredi Lotharingi coniux ac Mathildae mater erat, regali auspicio lata, qua Petro II. Ecclesiae sanctae genitricis Abbati bona quaedam in litem deducta iudiciali voce tribuit; argumento indubio, eos maxime desipere, qui Tusciae Rectores auctoritate defunctos domui cuidam, quam habuissent Florentiae, includunt, vt suae inseruiant hypothesi et imaginariam Florentinorum libertatem vtcunque tueantur. Quare vix mihi tempero, quin totum Beatricis decretum cum beneuolo lectore communicem.

*DVm in Dei nomine, in ciuitate Florentia, intus Palatium de domu S. Joannis in Iudicio resedebat Dna* BEATRIX *Ducissa et Marchionissa, vxor* GOTTIFREDI *glorioſissimi Ducis ad causas audiendas ac deliberandas intentiones ad vicem supradicti Viri sui; residentibus cum ea Villelmus, qui Bulgatello vocatur, et Vuido Comites Rothericis, et Vgo et Gotefredus, et Petrus, et alius Petrus Iudices, Vuinibaldus qui Saracino vocatur filio b. m. Aezite, Alberico filio b. m. Ioannis et Vberto filio b. m. item Vberti et Alberto filio b. m. Rodolfi, et Paganus filio b. m. Rolandi, et Vgo filio idem Vgonis, et Ildebrandus filio b. m. Gherardi et Rainerius filio Gomizi et Theuderico filio Ildebrandi, et Vuido filio Cumimundi, et reliqui plures ibique in eorum, et praedictorum praesentia* PETRVS *Abbas de Ecclesia, et Monasterio Beatissimae Sanctae* MARIAE *sita in ciuitate* FLORENTIA, *vna cum Wido Aduocato suo, et eidem ecclesiae, et ceperunt dicere, habemus et tenemus ad proprietatem et partem de supra dicta Ecclesia et Mo-*

*Monaſterio S. MARIAE integram vna ſorte, et res, quae poſita in loco, qui vocatur Mannozie, ſicut recta eſt per Ioannem Presbyterum, et Azo et Benedicto et Raimberto, et per eorum Conſortes, vna cum Terris, Vineis, hortis, et Dominicatis et Maſſaritiis et vniuerſis rebus ad ipſam ſortem ſunt pertinentes, et ſunt infra Territoria Plebium S. Mariae ſita Giliuaccolo, et S. Petri in mercato; ſi eſt vllus homo qui aduerſum nos ad partem ſupradictae Eccleſiae et Monaſterii aliquid exinde agere, aut cauſare, vel intentionare mittere vult, parati ſumus cum eo in ratione ſtandum, et per legem finiendum, et quod plus eſt, quaerimus veſtri mercede, vt vos faciatis pro Dei timore, et animae* DNI REGIS *et veſtrae remedium, vt mittatis* BANNVM *ſuper nos et ſuper praenominatam ſortem, et res, vt ſupra legitur, ad partem ſupradictae Eccleſiae, et monaſterii; et tunc ipſa BEATRIX Ductrix per conſolationem ſupradictorum Iudicum per* FVSTEM, *quem ſua detinebat manu, miſit Bannum Domini* REGIS *ſuper praedictum Abbatem, et Aduocatum eius, et ſuper iam dictam ſortem, et res, qualiter ſupra leguntur ad partem iam dictae Eccleſiae, et Monaſterii ſanctae MARIAE in Mancuſos aureos duo millia, vt nullus quislibet homo, magna paruaque perſona, iam dictum Abbatem et Aduocatum eius, vel eorum ſucceſſores ad partem praenominati Monaſterii de praenominata ſorte, et rebus, ſicut ſuperius legitur, audeat eos diſueſtire ſine* REGALI *iudicio. Qui hoc vero fecerit praedictos duo millia mancuſos aureos compoſiturum ſe cognoſcat medietatem* CAMERAE DNI REGIS, *et medietatem ſupradicto* ABBATI *et* ADVOCATO *eius ad partem ſupradicti Monaſterii, et de ſuis Rectoribus, et futura oſtenſione fieri ammouerunt. Quod quidem et ego Ioannes Notarius ex iuſſione praedictae BEATRICIS Ductricis . . . et Iudicum admonitione ſcripſi An. ab Incar. Dni LXI. poſt mille Kal. Decembris, Indictione XV.*

*Rotecherius Iudex interfui*
*Vgo iudex Domini Imperatoris interfui*
*Petrus Iudex ſacri Palatii interfui.*

§. XVI.

## §. XVI.

Nec silentio praetereundum, ipsam Beatricem necessum habuisse, vt sese regiis decretis iudicioque submitteret, cum inscio Henrico III. ad nuptias cum Godefrido Duce ineundas animum appulisset. Aliquid ea de re aequalis et grauis scriptor Lambertus Schaffnaburgensis memoriae prodit ad a. 1055. *Heinricus imperator Natalem Domini Goslariae celebrauit, statimque exactis feriis solennibus in Italiam perrexit, vocatus eo legatione Romanorum, qui nunciauerant, nimium in Italia contra Rempublicam crescere opes et potentiam Godefridi ducis: et nisi turbatis rebus mature consuleretur, ipsum quoque regnum propediem ab eo dissimulato pudore occupandum fore. Sed vbi Italiam ingressus est, dux Godefridus missis in occursum eius nunciis, mandauit, nihil se minus quam rebellionem cogitare, paratum potius pro statu reipublicae et imperatoris salute extrema etiam omnia experiri, gratum se habere, quod patriis finibus extorris, patriis possessionibus eiectus, opibus saltem vxoris suae in peregrinatione sustentaretur: quam nec dolo, nec rapto, sed ipsius placito, et celebratis solemniter nuptiis in matrimonium sibi iunxisset. Beatrix quoque dissimulato metu imperatori obuiam processit, et vix impetrata dicendi copia ait, nihil se egisse praeter quam quod iure gentium sibi agere licuisset: destitutam se priori marito, desolatae domui patronum parauisse, et ingenuam ingenuo sine fuco nefariae cuiusquam machinationis nupsisse, nec aequi, nec boni memorem eum esse, si id sibi pace eius non liceret, quod in Imperio Romano foeminis nobilibus semper licuisset. Imperator itaque accepto a primoribus consilio, Godefridum crimine absoluit, non tam probans satisfactionem eius, quam metuens, ne malis recentibus exasperatus Nortmannis infestantibus Italiam du-*

*cem belli se praeberet, et fierent nouissima eius peiora prioribus: Beatricem tamen quasi per deditionem acceptam secum abduxit, hoc illi culpae obiiciens, quod contractis se inconsulto nuptiis hosti publico Italiam prodidisset. Deinde anno integro intra Italiam commoratus, cuncta, quae rei vtilitas exposcere videbatur, magnifice pro loco et tempore ordinauit.* Ex quo ad liquidum credimus perductum, vsque ad hoc aeuum tum Italos, tum Tuscos, tum Duces, ac Marchiones, tum Florentinos nihil inuenire praesidii pro libertate, quam fingunt, sua verisimiliter adserenda.

## §. XVII.

Verum tamen non abnuo, Mathildam Beatricis filiam paullo maiora affectasse, quam aequo tolerare animo Teutonici poterant. Nam cum illa Hildebrando, seu Gregorio VII. tenerrimo ac tenacissimo amore adhaerescceret, euenit tandem, vt pristinae fidei oblita nefandum in DOMINVM suum ferrum stringeret, ciuibusque suis armatis, praelia consereret PRIMA *omnium et* SOLA *Imperatoris potentiam aspernata:* quod Hugo Flauiniacensis infestus Henrico IV. auctor sine circumitione enuntiat. Quae pernicioſa Mathildae consilia, quum animaduertisset Rex, Conradum ei filium obiecit, qui feminae dominatum Italiae impotenter affectantis conatus dispelleret. Ita ἀνώνυμος vitae Henrici scriptor: *Relicto in Italia filio Conrado, iam tum regni sui haerede, designato regressus est; scilicet qui se* GRASSANTI MATHILDAE *et totam Italiam sibi vendicanti opponeret, et regnum, quod futurum erat suum, de manu feminae tolleret.* Quo temporum habitu si quis Florentinos ciues armis adsuefactos adfirmet, ego sane neutiquam repugnabo; modo ne Mathildam sui ita officii immemorem fingat, vt omnium Regum

gum Italiae a Pontifice agnitorum maiestatem sperneret. Nam cum Conradum Henrici filium ipsa in suas et Romani Praesulis partes variis verborum lenociniis adtraxisset, illico eum tanquam Regem venerata est suum; testaturque Bertholdus Constantiensis, *Conradum coronatum Mediolani, annuente* WELPHONE DVCE *Italiae et* MATHILDA *eius charissima coniuge.* Vnde nec tum temporis Florentia a regia manu obseruatur libera, certumque est, filium Henrici immorigerum Conradum in Tuscia regni sedem elegisse, ac Florentiae fuisse sepultum. Cumque Henricus V. tandem Henricum IV. Patrem solio deiecisset, isque Italiam intrasset, *omnes ciuitates munitae, omnia castella Regi subdebantur;* Rexque *natalem Domini apud* FLORENTIAM celebrabat, vti hoc diserte ad a. MCIX. litteris signat chronographus Hildesiensis. Cui non solum Domnizo consonat, sed rem multo luculentius ac scopo nostro conuenientius describit edit Leibnit. p. 689.

*Arcibus in claris stabat tunc ipsa ducatrix*
*Vltra montani Proceres multi quoque clari*
*Ad quam venere, miraturi mulierem.*
*Pace laborabat pro cuius Rexque flagrabat.*
*Vsque Tari ripam venit Rex pace petita.*
*Tunc valide docta linquens Comitissa Canossam,*
*Forte vel excelsum peruenit Bibionellum:*
*Regis cum missis magnis ibi plurima dixit,*
*Et de pace loquens, de Regis honore suoque,*
*Vtraque pars tandem pacem laudauit eandem.*
*Sed contra Petrum non promisit fore secum.*
*Francigenam stratam tenuit Rex, pace peracta;*
*Transiuit certe, tunc incipiente Decembre,*
*Montem Bardonis Tuscanae fluxit in oris,*

GENS TREPIDAT CVNCTA *nummos sibi datque*
TRIBVTA,
*Ceu Longobardi, sic* TVSCI *sunt tremefacti,*
*Cum* FLORENTINIS. *Celebrauit denique Christi*
*Natalem, densas* PLEBS *haec sibi contulit escas,*
*Vrbis Aretinae muros ruit, vssit et igne.*

## §. XVIII.

Ac liquet porro, Mathildam tum Caesaris exercitu, tum Mantuanae ciuitatis seditione perterritam vix ausam obloqui Henrico V. cum is, debellato Paschali II. ac Romanorum superbia contrita, in Alemanniam magna cum gloria rediret. Est enim et illa obuia facta victoriis cumulato Regi triduoque Imperatorem singulari hospitalitate excepit, loca et lautia prolixe praebendo, ac foedus tandem cum eo feriens, Principisque auxilia contra Mantuanos rebelles implorans: quos sicuti proscripsit; ita *Liguriam* VICARIO IMPERII NOMINE feminae Duci regendam permisit. Liguria vero insignem Lucam inter et Ianuam terrae tractum complectebatur: Paschali II. frustra Mathildae opem implorante iniuriasque sibi a Rege illatas surdae Principi narrante. Quae omnia Domnizonis Poetae, qui Mathildae sacerdos erat, fide scribimus.

## §. XIX.

Vnde conficitur, Florentinos ea tempestate de libertate neque cogitasse, neque sic cogitandi causas habuisse. Quid vero post Mathildae obitum contigerit, perspicue satis cognitum est. Tota quippe celeberrimae Mathildae haereditas ad Henricum V. peruenit; nec sane vllum apparet vestigium, Italos principes aperta ratione in contrarium machinatos quidquam.

§. XX.

## §. XX.

Ipse Pontifex, qui Paschalis erat II. memor imperatoriae virtutis ne mutire quidem audebat: vtut Saxones altum intonabant contra Henricum V. denuo coniurati. Quae res Regem commouisse videtur, vt, post excessum Mathildae a. CIↃCXVI. in Italiam descenderet, visurus, quid animi haberet iratus Pontifex non tam de Mathildae hereditate, quam erepto sibi inuestiendi Episcopos iure in Lateranensi concilio conquerens; sed de quo haud temere timebat, ne se diris noue deuotum de solio deiiceret, ac Germanicum diadema vna cum Italiae regno omnibusque Mathildae possessionibus anathemate perculso eriperet; quamlibet interea Pontifex, quae animo agitaret consilia, summo silentio premeret. Haec caussa primaria erat, quare ad ipsam vrbem contenderet, et coronari noue cuperet: inprimis cum Pontificis parastatae praefracte adfirmarent, primam inaugurationem barbara ferocia fuisse extortam. Verum tamen astutus Paschalis Beneuentum concedens per Mauritium Burdinum agere cum Imperatore malebat, quam praesens colloqui Henrico, qui eius praesentiam omni studio expetebat. Quo voto etsi frustrabatur; per hunc tamen Burdinum ad Caesaris partes transeuntem iterata caerimonia inaugurabatur. Quam ob rem non solum frendebat Paschalis; sed et Burdinum a communione ecclesiae excluſum declarans de ipso Imperatore vix statuebat mitius. Cumque non multo post oppeteret mortem et peior pars Gelasium II. Caietanorum familia oriundum Pontificem sine suo consensu eligeret, euenit tandem, vt Imperatorii iuris bene memor Burdinum Gregorii VIII. nomine insignitum in Pontificali sella collocatum suis partim viribus, partim amicorum opera potenter defenderet. In quo an recte sit

versatus Imperator, in vtramque partem differebatur, sanioribus interea iure factum existimantibus, quorum argumenta collegit doctus Baluzius in vita BVRDINI: haud obscure innuens, fortiores sibi Imperatoris rationes arridere, non autem precaria Gelasii commenta, qui interea vagus in Italia oberrabat, donec in naues conscendens ad Gallos inter varios gemitus precariasque lacrymas abiret.

§. XXI.

Ex quo euidentius elucet, quare Rex pacatissima ratione totam Mathildae familiam ad se traxerit, partim illustribus viris in beneficium inde concedens aliqua, partim antiquis possessoribus pristina iura ac priuilegia firmans. Id certum, neminem veterum Auctorum dissentire, quin Henricus tota in Tuscia pro legitimo Mathildae successore sit agnitus. Minimum ipse Domnizo bresbyter Canusium, quod est celebre in Mantuano tractu castellum, poetico spiritu alloquens totus pro Caesare est, quod e sequentibus perspicue satis colligitur:

*Caesar honorat, teque decorat, sis sua semper,*
*Plangere noli, culmen honoris, tu retinebis:*
*Caesaris hostes, sint procul omnes, ipse beetur.*

§. XXII.

Quare vix subit mirari, eundem Caesarem Conradum Suevum sororis Agnetae ac Friderici Hohenstauffii filium Marchionem ac Ducem Tusciae creasse, Italis ita charum, vt, Imperatore e viuis abeunte, ac Lotharii in Germania factione inualescente, Modoetiae, quae hodierna est Monza, regio diademate cingeretur. Dedit hanc in rem Ioannes Petrus Puricelli e Landulpho Iuniori, scriptore aequali, egregia excerpta, qui ipsemet Conradi partibus adhaeresebat. Quid? quod in Tusciam profectum

Con-

Conradum idem Landulphus in sequentibus refert: *Hunc namque gradientem per Comitatus et Marchias Lombardiae et* TVSCIAE *Comites et Marchiones cuiuscunque nobilitatis, viri potentes et humiles, cum gaudio susceperunt et amauerunt; qui vero rebelles fuerunt, eius acutissimi Gladii fortitudinem senserunt, atque mortem et confusionem (ceu Anselmus Marchio Busco et illustris (*) -- Comes) susceperunt. Alter quorum Anselmus vitam et absolutionem suscepit, per gratiam Mediolanensium, quibus in angustissimis praeliis campestribus ceu miles fortissimus profuit. Alter vero scilicet* COMES, *vel mortem sustinuit. Ac sic benigne et fortiter agendo Romae appropinquauit, sed fortis Honorii manus ipsum resupinauit; atque in Germaniam quasi ad sua propria loca redire fecit.*

§. XXIII.

Quod postremum sicuti veritati congruit; ita neutiquam existimandum, Germanos propterea Tuscia excidisse. Nam vtut Conradus Bernardi Claraeuallensis Abbatis prece atque auctoritate commotus regium nomen deposuit, et Lothario conciliatus Ducis ac *signiferi* (**) titulo contentus egit, est tamen exploratum, Lotharium eandem Tu-

(*) Veri simile est, illustrem hunc Comitem, cuius nomen in Landulphi Iunioris MS. legi non potuit, ALBERTVM fuisse, quem Honorius II. Papa in Tusciae terra Marchionem et sui Vicarium habuerat. Saltem Muratorius Chartam huius Alberti refert, in qua *se cooperante gratia et B. Petri et Domini Papae Honorii eius Vicarii munere ad huius honoris fastigia prouectum fatetur.* Addemus dein alia hanc rem imprimis illustrantia.

(**) Quid fuerit *signifer* imperii, ostensum est in Gundlingianis part. II. p. 221.

Tusciam genero Henrico Welfo, quem aliqui superbum, nonnulli magnanimum nominant *in beneficio concessisse*. Non haec latuere Conradum Vrspergensem, Ottonem Frisingensem, nec Weingartensem Chronographum. Iosephus Maria Florentinius vero perdoctus Commentariorum de rebus ad Mathildam Comitissam spectantibus auctor Lib. II. p. 347. alium nobis Tusciae Marchionem obtrudit, Ingilbertum nomine, confutatus propterea ab accuratissimo Pagio in Critica Baroniana ad a. 1134. ex Vrspergensi, qui Henricum Tusciae Marchionem a Lothario *inuestitum* narrat: nemine, praeter Chronographum Pisanum, de Ingilberto (*) mentionem iniiciente. Vix ad caussam nostram pertinet, vtrum etiam Innocentius II. allodium Mathildae Lothario reliquerit, sicque Henrico simili liberalitate donauerit; an ipse Innocentius II. *apostolica*, vt loquitur Baronianum diploma, benignitate concesserit? Sat est, Florentinos ad Tusciae Marchiam referri, nec argumenti habere quidquam, vnde se ab imperio Henrici Welphi, aut Lotharii Saxonis probent

(*) Credibile est, hunc *Ingilbertum*, cum *Alberto*, quem Honorius II. Marchionem Tusciae creauit, confundi; quemque Chronicon Pisanum male a Lucanis habitum recenset. Eum vero in Concilio Pisano a. MCXXXV. Marchionem Tusciae constitutum prorsus a vero abludit; estque coniectura, Albertum ab ipsis Pisanis fuisse occisum. Forte enim pro *vindicatur* legendum *obtruncatur*. Eodem vero, quo Conradus Sueuus anno, nempe MCXXVIII. Tusciam lustrauit, hic Albertus Vicarius iam vixit, seque Pontificis beneficio haereditate Mathildis potitum gloriatur. Quin autem veteres Chronographi diuersa saepe facta in vnum compingant et misceant, experientia constat.

bent exemptos: imprimis, cum ipse Pontifex res Imperatoris et Ducis tueretur.

§. XXIV.

Verum tamen id inficias iri neutiquam potest, Henricum hunc Welphum non ita diu Tusciam tenuisse. Lothario enim vita functo omnes ille facultates et possessiones suas proscriptione Conradi Regis amisit; additque Auentinus, ab Henrico Tusciae quoque terras fuisse repetitas. Quod quamuis Auentinus sine teste adducat; non est tamen congruens vero, acquisitas in Italia opes eum seruasse: maxime cum turbarum initio diem non sine veneni suspicione obiret suum.

§. XXV.

Proinde dignum quaeri, quae interea Florentinae ciuitatis conditio fuerit? Ac fateor, iam, iam Florentinos ferociores effectos, vti omnes fere omnium Italiae ciuitatum ciues atque incolas. Obseruat hoc Otto Frisingensis, simulatque causam in Regis Conradi absentiam reiicit; vnde cristas extulerint opulentiores ciuitates inque his Florentia Tusciae. Adscribam eius verba: *His diebus propter absentiam Regis, Italiae vrbibus in insolentiam decedentibus, Veneti cum Rauennatensibus, Veronenses et Vincentini cum Paduanis et Taruisiensibus, Pisani et* FLORENTINI *cum Lucensibus et Senensibus, atrociter debellantes totam pene Italiam, cruore, praedis et incendiis permiscuere. Praeter enim ea, quae supra diximus, Paduanis priori anno illata incommoda, Veronenses et Vincentini sequenti anno castella, vicos et agros Taruisiensium ferro flammaque vastauere. Veneti etiam ac Rauennatenses plurima mala terra marique alterutrum intulere: at Pisani et Lucenses propter nimiam viciniae opportunitatem, indefesso furore bellantes, ruinae suae omnes Tusciae vires*

*implicuere. Nam et* FLORENTINI *vna cum* MARCHIONE TERRAE VLRICO *vsque ad ipsas portas Senensium procedentes, suburbia eius cremauerunt. Senenses vero numero et viribus impares se cognoscentes* FLORENTINIS, *Lucensium auxilium flagitant. Lucenses tam pro ipsis, quam pro Comite Guidone Guerra, qui et ipse cum* FLORENTINIS *atrox bellum gerens, eos adierat,* FLORENTINOS *hostes pronunciant. Illi autem Pisanis adiuncti, non solum Lucenses bello attentant, sed et Castella, oppida, agros praefati Comitis incendio et rapina deuastant. Senenses etiam qui ad vastandos agros eorum egressi fuerant, insidiis a tergo positis, vix paucis fuga elapsis, captiuant. Porro ex Pisanis et Lucensibus non tantum plurimi ferro caesi, compendio mortis miseriam miserabiliter terminauere, sed et innumerabiles vtrobique comprehensi, ac longa (vt ipse vidi) carceris inedia et squalore macerati, omnibus praetereuntibus lachrymabile humani casus in se spectaculum praebent.* Quis hic fuerit Vlricus cum ignarissimis scio. Est tamen haud improbabile, eum a Conrado III. Tusciae fuisse praepositum, quem comiter adhuc venerabantur Itali ipsique Romani, vt qui eius praesidio Consules, Senatum ac veteris libertatis insignia se consecuturos sperabant. In quo sicuti se ipsos egregie decipiebant; ita innotescit interea, qua ratione spiritus sumserint Italiae ciuitates, de quibus iterum solida ac certa ab Ottone Frisingensi in vita Friderici Barbarossae Libr. II. Cap. XIII. traduntur: *Denique*, inquit, *libertatem tantopere affectant, vt potestatis insolentiam fugiendo, Consulum potius quam imperantium regantur arbitrio. Cumque tres inter eos ordines, id est Capitaneorum, valuassorum, et plebis esse noscantur, neue ad dominandi libidinem prorumpant, singulis pene annis variantur. Ex quo fit, vt tota*

*illa*

illa terra intra ciuitates ferme diuisa, singulae ad commanendum secum dioecesanos compulerint, vixque aliquis Nobilis, vel vir magnus, tam magno ambitu inueniri queat, qui ciuitatis suae non sequatur Imperium. Consuerunt autem singuli singula territoria, ex hac comminandi potestate, Comitatus suos appellare. Vt etiam ad comprimendos vicinos materia non careant, inferioris conditionis iuuenes, vel quoslibet contemtibilium etiam mechanicarum artium OPIFICES, quos ceterae gentes ab honestioribus et liberioribus studiis, tanquam pestem propellunt, ad militiae cingulum vel dignitatum gradus assumere non dedignantur. Ex quo factum est, vt caeteris orbis ciuitatibus, diuitiis et potentia praeemineant. Iuuantur ad hoc non solum (vt dictum est) morum suorum industria sed et PRINCIPUM in transalpinis manere assuetorum ABSENTIA. In hoc tamen antiquae Nobilitatis immemores, Barbaricae fecis retinent vestigia: quod cum legibus se viuere glorientur, legibus non obsequantur. Nam Principem cui voluntariam exhibere DEBERENT SVBIECTIONIS REVERENTIAM vix aut nunquam reuerenter suscipiunt: vel ea quae secundum legum integritatem sanciuerit, obedienter excipiunt, nisi EIVS multi militis adstipulatione coacti, SENTIANT AVCTORITATEM. Ob ea frequenter contingit, vt quamuis ciuis lege flectendus aduersarius armis cogendus secundum Leges sit: ipsum tamen, quem vt proprium Principem mitem suscipere oportebat, saepius iura propria exposcentem, hostiliter excipiunt. Ex quo duplex Reipubl. nascitur detrimentum, vt Princeps ad subiugationem, ciuis in colligendo exercitu distrahatur: et ciuis, non sine magno rerum suarum dispendio, ad obedientiam Principis compellatur. Quare eadem ratione qua populum super hoc incusat temeritas: sic PRINCIPEM apud Deum et homines excusare debebit NECESSITAS.

## §. XXVI.

Extrema haec verba bene perpendat induſtrius Lector, vt inde intelligat, non iure ciuitates Italiae tantum ſibi arbitrium arrogaſſe; ſed ex facto latioris poteſtatis limites inſolenter affectaſſe. Vnde in Roncaliis campis multae contra dictas ciuitates conqueſtiones ſunt auditae, inque primis Wilhelmi Marchionis de Monte ferrato, *qui paene ſolus*, teſte Friſingenſi, *ex Italiae Baronibus ciuitatum effugere imperium potuit.* Eoque mirandum, etiam Vlricum Marchionem Florentinis adhaeſiſſe: niſi forte ob ius ciuitatis Florentinae impetratum eorum ſequi conſilia ſit coactus: donec Fridericus Imperator Welphum Henrici ſuperbi fratrem Marchionem daret Tuſcis, qui magna illis auctoritate praefuit, *ac reliquis Baronibus et Comitibus ſceptrum poteſtatis cum vexillis* tribuit quemadmodum diſerte hoc adnotat Conradus Vrſpergenſis, et Chronicon Weingartenſe. Quare euenit, vt, ſuperioris Italiae ciuitatibus, Alexandro III. incentore, contra Imperatorem arma capeſſentibus, Tuſcia cum Florentinis pacata viueret, Welphi praeſentia et copiis haud dubie in officio retenta. Vt ita arguam pax Conſtantiae cum Italicis vrbibus ac ciuitatibus inita facit, quibus ea ratione libertatem permiſit Fridericus, quemadmodum Germanicis ciuitatibus, reſeruato Caeſari iure praeficiendi vicarios imperii, perinde ac reliquis in Germania darentur *Aduocati* imperiales: quod expreſſe in foedere pacis memorato legitur cautum. De Florentia vero, itemque Luca, Senis, Piſis ne verbulum in illo tractatu habetur, nec veſtigium apparet, eas hoſtilia in Barbaroſſam tunc temporis eſſe molitas. Sunt haec ita certa atque indubia, vt tabulis, quas Muratorius in *antiquitatibus Ateſtinis* publicauit, vix opus ſit ad ea, quae animo intendimus,

pro-

probanda; nisi hoc forte sit inculcandum cópiosius, Welphum non solum Tusciae Marchionem, sed et Spoleti Ducem, ac Dominum *Domus Mathildae* esse nominatum: quam domum Pontifices repetitum ibant, causati, Mathildam Sancto Petro *allodia* sua obtulisse.

## §. XXVII.

Perspicue hoc colligitur ex Hadriani IV. apud Radeuicum petitis ac pacis instrumento cum Alexandro III. quam Venetiis demum coiuisse in vulgus notum est, in quo Fridericus per Legatos suos promittit, se restituturum Pontificiae sedi TERRAM COMITISSAE MATHILDAE. Produxit hasce tabulas Antonius Pagius e Bibliotheca Domini de Mazaugues consiliarii in Aquensi Parlamento regii. Verum tamen nusquam id legitur effectui datum; capiturque coniectura, Alexandrum III. a Welphis, quipostmodum infensiores Caesari sunt effecti, terram illam repetere non ausum. At, cum Alexandro III. successisset Lucius Papa, et Fridericus suae illas terras familiae, secundum pactum cum Welpho VI. celebratum, innectere laboraret, iterum auditae sunt Pontificis querimoniae. Refert quippe Arnoldus Lubecensis Lib. III. cap. X. in concilio Veronensi, cui et Imperator et Fridericus praesentes aderant, ea de re fuisse disputatum. *Tractabant*, inquit, *inter se Dominus Papa, et Imperator de* PATRIMONIO *Dominae* MECHTILDIS, *Matronae nobilissimae, quod Imperator in possessione habebat, dicens ab eadem Imperio collatum. Et e conuerso Dominus Papa sedi Apostolicæ ab ea datum affirmabat. Cumque in argumentum probandi Testamenti ex vtraque parte Priuilegia porrigerentur, nullo fine causa terminata est.*

## §. XXVIII.

Ex quo manifestissimum redditur Fridericum ad iuris disceptationem prouocantem in possessione mansisse, vt et Welphum VI. Patrem Welphi VII. turbato mortalitatis ordine ex hac vita migrantis. Nec obscurum est, Welphum vsque ad vitae suae extremam lineam plurima in Tuscia ac de hereditate Mathildis tenuisse; nonnullis duntaxat ad Fridericum translatis in signum factae cessionis. Probe enim obseruandum, Welphum Friderico omnes Italiae ac Sueuiae terras pro certa pecuniae summa obtulisse ac resignasse; quas Imperator in eum hac iterum conditione contulit, vt post obitum demum vniuersi patrimonii Welphici heres fieret ex asse. Vnde Muratorii notamentum vix negligendum, habuisse Caesarem in PODERE MATHILDAE legatum suum: quod is e charta Tabularii Atestini sese animaduertisse sincere indicat: Lucio III. Papa ob varias rationes ciuiles iras suas dissimulante.

## §. XXIX.

Ac quamuis Vrbanus III. ortu Mediolanensis omnem lapidem moueret, vt Augustum in odium apud Germaniae Praesules adduceret, simulatque animo nouum fulmen meditaretur, patriae excidium ac strages memoria tenaci retinens; vana tamen hac parte eius erant molimina, totaque Mathildae haereditas, vna cum Tusciae ciuitatibus ad Italiae regnum pertinentibus in eius obsequio et patrimonio perstitere. Quin vero non dissimile est, expeditionem in Orientem permouisse tandem Gregorium VIII. Friderico amicum, itemque Clementem III. Ecclesiae Romanae antistites, vt non solum Henricum VI. pro *electo Romanorum Imperatore* aut, veluti Radulphus de Diceto loquitur, pro *Caesare* agnoscerent; verum etiam Mathil-

thildae domum cum Tuscia Sueuorum imperio relinquerent: ne quid de nuptiis cum Constantia vtriusque Siciliae herede firmatis memorem.

## §. XXX.

Qua de caussa coniicio factum, vt pereunte in Syria Ahenobarbo, Philippus filius Henrici VI. frater, Tusciae Rector declararetur; quod non solum gesta vitae Innocentii III. quae Stephanus Baluzius noue edidit, diserte referunt, verum etiam publica documenta loquuntur: quorum vnum solertissimus Muratorius e Tomo II. Bullarii Cassinensis excitat. Neque vero est existimandum, Philippum otiosum in Tuscia spectatorem egisse: etiam constat, obnixe illum omnia feciisse, vt ibi cum auctoritate regnans iurisdictionem suam vsque ad moenia et portas VRBIS propagaret. Quod sane ipse Innocentius III. non diffitetur, quando eum propterea imperio indignum declarat. Verba Pontificis haec sunt: *Ab ecclesiae persecutione incepit, et adhuc in ea persistit: olim enim patrimonium Ecclesiae sibi vsurpare contendens* DVCEM TVSCIAE ET CAMPANIAE *se ferebat, asserens, quod vsque ad portas vrbis acceperit potestatem, et etiam illa pars vrbis, quae trans Tiberim dicitur, eius fuerit iurisdictioni concessa.* Quam quoque ob caussam diris eum deuouendum censebat Innocentii Antecessor Coelestinus, *propter inuasionem*, et, vt ille aiebat, *deuastationem apostolici patrimonii:* quanquam Philippus negaret, vnquam se anathematis fulmine percussum manifeste. Consulenda eam in rem est epistola huius Principis ad Innocentium exarata, quae est CXXXVI. in Registro, quod vulgauit Stephanus Baluzius, vir celeberrimus in fine TOMI I. *Epistolarum Innocentii III.*

§. XXXI.

§. XXXI.

Inde vsu venit, vt Henrico VI. Imperatore ac fratre Philippi ad plures abeunte dissidioque in imperio Germanico Ottonem inter et Philippum inualescente, Innocentius Praesul totam Tusciam ab obsequio Germanorum modis quibuscunque censeret abstrahendam. Pertinet huc memorabilis in *Gestis Innocentii III.* quae apud nominatissimum Baluzium inveniuntur, locus p. 3. seq. *Ciuitates autem* TVSCIAE, *quae propter importabilem* ALEMANNORVM *tyrannidem quasi grauem incurrerant seruitutem, societatem hanc ad inuicem inierunt, praeter ciuitatem Pisanam, quae nunquam potuit ad hanc societatem induci, et obtinuerunt a Summo Pontifice, vt et ciuitates Ecclesiae, quae sunt in Tuscia et Ducatu Spoleti, se illis in hac societate coniungerent, saluo semper in omnibus apostolicae sedis dominio et mandato. Constituerunt ergo singulos* RECTORES *de singulis ciuitatibus, et vnum* PRIOREM, *cui tempore sui* PRIORATVS *omnes intenderent ad societatis negotia peragenda; omnesque, tam Rectores, quam alii, iurauerunt quod societatem seruarent ad honorem et exaltationem apostolicae sedis, et quod possessiones et iura sacrosanctae Romanae Ecclesiae bona fide defenderent, et quod nullum in* REGEM *vel* IMPERATOREM *reciperent, nisi quem Romanus Pontifex approbaret.* Sed patet hinc, Tusciae ciuitates, nulla excepta, Teutonicorum imperio subfuisse, ac nunc tandem inito inter se foedere ad libertatem, Pontifice auctore atque defensore, adspirasse; Pisanis rectiora sequentibus.

§. XXXII.

Cui vix obest, Teutones non iure, sed vi, atque armis obtinuisse omnia, quae, vbi de causae iustitia disceptatur, nullius sane momenti sint. Illico enim regero, pati-

patienter admodum auſcultaſſe Philippi ſermoni Pontificem, cum is Tuſciae Ducatum Innocentii fratris Richardi filio polliceretur obtinendum a ſe et imperio; ſi ab anathematis, quibus innodatus erat, vinculis liberaretur. Diſerte Vrſpergenſis: *Aſt hoc (vt retulerunt nobis viri veridici) promittitur Papae, quod filia Regis daretur in vxorem filio fratris ſui Richardi, qui iam Comes fuerat effectus Papae ſuffragio, nec ſtatuit Papa repetere terras, quas multoties ab imperatoribus repetere conſueuerunt anteceſſores ſui in* TVSCIA, *et Spoleto, et Marchia Anconae, ſperans, quod in poteſtatem nepotis ſui,* PRAETER PRAEDICTAS NVPTIAS *poſſent deuenire. Mittuntur igitur Legati ſedis Apoſtolicae in Alemanniam ad reformandam pacem*, cetera.

## §. XXXIII.

Nemo non intelligit, ipſum Praeſulem Romanum vix ſperare auſum, alia ratione Tuſciae ceteroſque Italiae principatus ad fratris ſui natum transferri iure poſſe, niſi dotalibus tabulis cum imperii procerum conſenſu terrae litigioſae in manus eius conſignarentur. Cuius ambitioſa ſpes cum argute a Philippo et Germaniae ſummatibus ſit eluſa; hinc videndum, quo titulo demum Tuſci, inque primis Florentini ad illum libertatis, quam iactant, apicem peruenerint. Et verum eſt, feciſſe Innocentium vt Otto IV. Welphus ſine controuerſia in regni ſolium tandem conſcendens ante omnia ſibi promitteret, ſe reſtituturum TERRAS COMITISSAE MATHILDAE; at non minus eſt certum, ea conditione nouum hoc promiſiſſe Regem, ſi Pontificis ius foret indubitatum, de quo is tam magnifice et ſentiebat, et loquebatur. Poſtea vero, cum in rem eſſet ventum, cum Otto in Italia verſaretur, cum denique prudentiores conſuleret, ad vnum exiſtimauere omnes, non eſſe profundendum tam nobile Italici regni patrimonium, quod Henricus V.

nemine contra eunte fisco adscripsisset; prorsus atque rationes a Friderico I. nouimus subductas. Vnde noua irarum occasio: inprimis cum is Marchiones constitueret, et iura imperii vndique locorum vindicaret, causatus, se sacramento ab ipso Pontifice fuisse obstrictum, vt ne aliquid detrimenti capere imperium sineret; sed eius potius opes omnibus modis amplificaret, quemadmodum Matthaeus Parisiensis ad a. MCCX. p. m. 193. rem satis sincere refert. Ex quo iterum conficitur, nondum Tuscis libertatis beneficium obtigisse; quid? quod, etsi Otto IV. perfide agendo, allodium Mathildae iniusta ratione retinuisset, nequaquam tamen Florentinos habuisse, de quo conquererentur, cum ad Mathildae domum, quam affectauit Pontifex, nunquam pertinuerint.

## §. XXXIV.

Sed fecere, fateor, victoriae, quas contra Senenses et Pisanos aliquoties obtinuit Florentina ciuitas, vt Ottoni minus faueret, quam Innocentio, cuius sub vmbone nouam Reipublicae speciem meditabatur. Nemo enim repugnat, neque nos quoque inficias imus, inualuisse hoc tempore ea in vrbe Priorem quam potestatem appellitauere. *Potestas autem*, inquit Iustus Fontanini l. II. cap. 7. DE ANTIQVITATIBVS HORTAE, *hoc tempore in Italia vocabatur, supremus ciuitatum liberarum magistratus, qui ab ipsis electus, summo iure ciuibus in rebus bellicis ac politicis imperabat.* Obseruandumque, non e ciuium numero semper, sed aliunde huiusmodi Rectorem, *Priorem*, saepe fuisse adscitum. Qui Ottonis tempore summae rerum vna cum ceteris artium Magistris Florentiae praefuit, ab Innocentio III. alicubi Acerbus vocatur. Sed inde tamen vix cogitur, iure ab imperii ditione sese abstraxisse Florentinae ciuitatis incolas. Quicquid euenit, ex facto sane coeptum susceptumque existimari

ſtimari debet. Quod optime agnouere Piſani ampliſſimis priuilegiis ab Ottone IV. cumulati, omni eum ope iuuantes ac more conſueto vt Imperatori iurantes: documento certiſſimo, paria a Florentinis fieri debuiſſe nullo praerogatiuo iure fruentibus, ſi mori ac legi conuenienter viuere ſtuduiſſent. Nec certe ipſe Innocentius negare auſus eſt in litteris, quibus Tuſciae ciuitates in clientelam recepit, quaeque geſtis huius Pontificis leguntur inſertae p. 4. *Regi et Imperatori obſequium fore praeſtandum:* vtut addit: QVEM AGNOVISSET ROMANA ECCLESIA. Et dubio vero caret, Ottonem IV. ſolenni caerimonia fuiſſe vnctum, quem pro lubitu ſolio depellere nemini, nec Pontifici quoque licebat: quamlibet permitteretur, eum ex auctoritate Petri, quam ſibi tribuit, in ſpiritualibus aliquid habere poteſtatis. Sed bonum factum! Erant profecto in ipſa Florentina vrbe nonnulli, qui Ottonis partes ſanioribus vſi conſiliis iudicabant tuendas. Indicant hoc litterae Innocentii III. ad Epiſcopum Florentinum datae, quas inter reliquas Tomo II. edidit Stephanus Baluzius. Nec dubito, quin aliam faciem res Ottonis in Italia fuiſſent conſecuturae, niſi ipſi Germani in diſcrimen adduxiſſent Imperatoris Welphi fortunas et Fridericum II. demum in Regem cooptaſſent.

## §. XXXV.

Tum enim in peius conuerſa ſunt omnia; ipſeque Fridericus, qui Pontificis frui fauore, ac rem ſuam promouere omni contentione ſatagebat, coactus eſt, cedere Mathildae poſſeſſionibus, quas ſolennes tabulae recenſent confectae et acceptae a Friderico II. Imperatore et Innocentio III. Honorio III. itemque Gregorio IX. Nec ambigo etiam Tuſciae ciuitates, in quibus Florentia, ſummum Friderici imperium neutiquam poſthabuiſſe: vt quae ipſamet nonnullas ex allodio Mathildae terras tenebat, eaſque vt reſtitue-

ret Honorio III. erat iussa. Cui adiicias, constitutum hoc ab Imperatore Tusciae Marchionem animaduerti Pandulphum, quo de vita Friderici II. ac Monachus Paduanus.

§. XXXVI.

Quis ille fuerit Pandulphus latuit adhuc. Ego vero apud Sallam Malaspinam, quem Tom. VI. *Miscellaneorum* cum eruditis Stephanus Baluzius communicauit, inuenio, eum e Comitum Anguillariae genere prodiisse. Saltem illius filius huic stemmati cap. X. inseritur; *cuius pater multum fuisse Imperatori* FRIDERICO dicitur *deuotus, quamdiu Fridericus ipse in Ecclesiae gratia perstitisset.* Vnde factum, vt dein Fridericum Antiochiae Principem illi substitueret, qui erat filius Friderici naturalis, quem propterea Engelhusius *Regem*, seu potius Regentem, (ita enim censeo legendum) Rectorem *Tuscorum nominat*; constatque certo, eum Florentiae animam exhalasse. Non autem esse prorsus inania Engelhusii narrata itidem e Petro de Vineis confirmatur, vnde multo clarius, quae adfirmamus, patent. Ac pertinet huc cum maxime epistola IX. Libr. III. quam integram damus:

*Florentinis, vt obediant filio suo, quem mittit eis in Potestatem.*

*SPeciali quodam, inter tot et tanta negotiorum genera, quibus pectori nostro continue materia cogitationis infunditur, sollicita meditatione pensamus, qualiter sopitis quibuslibet inter vos praeteritae dissensionis erroribus, pax et iustitia in vobis noua quodammodo plantatione succreseat: qualiter etiam voluntatis vestrae tam prompta deuotio, quae quicquid sibi litigii siniſtrae dudum ob causam superstitionis adduxerat, iudicio nostrae prouisionis exposuit et in libra Caesarea definitionis appendit, in gratiae nostrae gremio pocula fauoris inueniat, et familiaris aspectus nostri singulari priuilegio potiatur. Ecce igitur, dilectum filium nostrum Fridericum de Antiochia, ad ciuitatis vestrae regimen (cuius inter omnes ciuitates Italiae attenta nos cura sollicitat, et*

*gratiae*

*gratiae nostrae sibi plenitudinem specialius acquisiuit*) *diligenti consideratione praehabita, prouidimus destinandum. Ex quo manifestis profecto patet indiciis, et probabilibus ostenditur argumentis, quantae vos Imperialis autoritas dilectionis singularitate prospiciat, et quam sinceriori specialitate fauoris statum vestrum pacificum amplectatur. Igitur dum humanitatis nostrae clementiam, per euidentiora signa videntibus ostendi non posse videamus lucidius, quam si filium nostrum ad vos, tanquam imaginarium nostrae praesentiae destinemus: fuit haec si quidem salubris et tanta prouisio, vt dum os de ossibus, et caro de carne nostra transmittitur, persona nostra per eum inter vos familiariter praesentata, sic ciuitatis vestrae regimini praesit, vt prosit: vos in bono statu protegat et tranquillo conseruet, et iustitiae copiam, quam singulis propinari praecepimus, petentibus subministret: et fideles nostri deuotae* FLORENTIAE *tam grati rectoris oculis refloreant nouitate, quem non solum potestatem, quam caeteris officialibus Imperialis impartitur autoritas, volumus esse contentum; sed vt in facinorosos et insigniter seu contumaciter se gerentes, liberius animaduertere valeat, sibi concedimus vices nostras. Vos igitur purae fidei et sincerae deuotionis alumni, praesentibus nostrae Serenitatis apicibus animati, quos irrequisitos libenter id facere pro certo confidimus, patris in filio praesentiam figurantes, ipsum quasi familiaris dilectionis eximium pignus, libenter et deuote suscipite: et sibi, velut in quem transfundimus nostrae plenitudinem potestatis, in omnibus tanquam personae nostrae promtis affectibus et hilaritate obedite, vt deuotionis vestrae constantiam, liberalitatis augustae prouisio, quae seruitia nouit remunerare fidelium, dignis proinde commendationis laudibus prosequatur: pro firmo scituri, quod obedientiae signa, quae sibi deuotio vestra monstrauerit, aequo fauore gratiae prosequemur, ac si personae nostrae personaliter monstraretis. Et si forte, quod omnino non credimus, contra eum quisquam in deuotionis calcaneum eleuaret, transgressores huiusmodi acerbiori iudicio prosequemur, quam si etiam in personam nostram haec, alicuius vel aliquorum temeritas, attentaret.* Dolent eruditi, annos Epistolis Petri de Vineis non esse adscriptos, vnde causae et variae inde pendentes

tes mutationes atque euentus exactius paullulum declarari possent. Sed elucet interea, a. 1248. Florentinos pleroſque ad Gibellinorum partes transiuisse: quod haud obscure IOANNES VILLANI indicat RICORDANI MALESPINI luminibus adiutus; nec diffitetur Odoricus Raynaldus Florentiae Gibellinos praeualuisse ad a. 1250. n. 31. Ioinuillae scriptoris Galli ac Ludouici IX. aetate florentis auctoritate conuictus: vt de Marino ab Eubulo, quem Tuscis idem Fridericus II. praefecit, nihil addam, cum hoc iam ab aliis e Petri de Vineis epistolis sit animaduersum.

## §. XXXVII.

Friderico II. vero ad superos abeunte in libertatem sese plebis auxilio iterum vindicare Welphicae factionis nobiles adnitebantur; imprimis cum Senenses et Pisani imperatorias partes tuerentur; quos Florentini nunquam non habuere infensissimos, vt qui mercaturae ipsorum remoram iniicere nunquam destitere. Inde factum, vt tam tempore Conradi IV. quam Manfredi, qui Gibellinos in Italia magnopere calefaciebat, in alia omnia irent, ac superbiae vento elati de potentatu in Italia obtinendo serio cogitarent, donec a Manfredo eiusque adiutoribus ad incitas redigerentur. Describam hoc Sallae Malaspinae verbis scriptoris συγχρόνε Lib. I. Cap. 4. *Eodem quoque tempore ciuitas* FLORENTINA *cum parte Guelforum non minus vitiis quam delitiis affluens sic superstitiosa iam coeperat tam multitudine populi, quam superbiae vento plena consurgere, quod de suarum virium temeritate lasciuiens, et de elati spiritus superfluitate confidens, dedignabatur* PARIFICARE *se aliis, quae suppeditare sibi vicinos multipliciter satagebat; ac in tantam iam venerat arrogantiae inflaturam, quod aliquando cogitare non metuit vsque ad Romanos sui alas extendere potentatus. Huiusmodi itaque temeritas actibus fastuosis incumbens, nec futuros euentus debita circumspectione praemeditans, suis omnibus fautorum suorum et complicum virtibus*

*bus congregatis ob obsidionem ciuitatis Senensis, commorante ibi memorato Iordano Comite cum stipendiariis regiis, viriliter attentauit accedere; factaque ibi mora, quam voluit, et vsque ad ciuitatis eiusdem moenia depopulatione peracta, exercitu dissoluto recessit. Cumque post modicum temporis Florentinorum ipsorum audacia cum Lucensibus, Placentinis, Pistoriensibus et aliis complicibus suis de Tuscia, quos in contumaciam suam non minus coactos, quam spontaneos attrahebant, cum exercitu numeroso, qui armatorum triginta millia continebat, ad muniendum castrum Montis Alcini victualibus et aliis opportunis, quod Florentini praedicti tunc in eorum potestate tenebant, per territorium Senarum prope ciuitatem eandem ad duo fere millia superbe procederent, qui per aliam tutiorem viam illuc indemnes accedere potuissent, contigit, quod dictus Iordanus Comes cum Teutonicis secum morantibus et Senensibus Populis cum parte Gebellinorum sub felicibus Regis auspiciis in Florentinos eosdem et fautores eorum viriliter irruentes, ipsis commissis hinc inde conflictibus expugnarent. In cuius expugnationis euentu sic* FLORENTINORVM *potentia deflorata commarcuit, quod ex eis eorumque complicibus, praeter occisos gladio, quorum non fuit numerus praefinitus, captiuorum solum modo, quos Senensis carcer astrinxit, quindecim millia et vltra numero computantur. Versi sunt inquam subito dies solemnitatis eius in luctum, sallia in opprobrium, honores in nihilum, ita quod eorum superstitione depositi, qui, dum in honore essent, non intellexerunt, iam sumentes a vexationis iaculis intellectum, Regis Manfredi mandata deuote suscipiunt et reuerenter eiusdem placitis colla submittunt.*

## §. XXXVIII.

Antequam hac clade afficerentur Florentini, numos e puriſſimo cudiſſe auro feruntur, quorum pulcritudine ita captus eſt Rex Tunetanus, vt facultatem iis aduehendi merces quaſcunque in regnum ſuum largiretur, vbi fere Ianuenſes ac Piſani ſoli appellabant: quos poſtremos magna ſtrage profligauerant Florentiae ciues contra Lucenſes luculenta antea victoria potitos. Prodit hoc *Ricordano Maleſpini*

*leſpini* in HISTORIA FLORENTINA Italico ſermone ſcripta Cap. CL. ſeq. quam Ioannes Villani ſaepe ad verbum exſcribit. At, ſicuti monuimus, conuerſa demum fortuna eſt, totaque ciuitas in Manfredi Regis poteſtatem a. 1257. peruenit, acriter aliquandiu huius cauſſam defendens; donec Pontifices eam anathemate ferirent et Carolus Andegauenſis Romanae vrbis ſenator factus totam fere Tuſciam per Welphicae factionis homines, conſentiente ac iubente Pontifice, vicario imperii nomine, oppreſſis quodammodo Gibellinis, qui adhuc ſuperiores viribus erant, acquireret.

## §. XXXIX.

Neque vero Carolum vereor appellare *vicarium*. Ipſe Ptolomaeus Lucenſis Gibellinis alioquin infenſus, eum hoc nomine inſignit; eſtque inueſtigandum duntaxat, cuius ille vicarius fuerit Pontificis, an imperii? Defenſores libertatis Florentinae hodierni bina confundere munia videntur, nempe vicarii Tuſciae, ac Rectoris, ſeu poteſtatis in ciuitate Florentina. Etenim et id habuit muneris Andegauenſis, vt qui ob defenſionem Welphicarum partium ſuſceptam eo fuit elogio cumulatus. Alterum vero prorſus diuerſum eſt a primo, ortum quidem a Papa Clemente, ſed ita tamen exponendum, vt Carolus potius vacantis imperii vicarius, quam ipſius Pontificis ſit dicendus; idque litterae Clementis apud Raynaldum lucide oſtendunt ad a. 1267. Accedit, quod ipſe Clemens IV. pepigerit cum Carolo, vt, ſi Rex Romanorum foret legitime electus, ſua ſponte is dimittat collatum munus. Legitur conuentionis huius formula apud eundem Raynaldum. Nec omittendum, Alphonſo Caſtellae Regi Imperatori ab aliquibus principibus electo et ob id intercedenti reſpondiſſe pontificem, ſe nequaquam IMPERII IVRA in Carolum transfudiſſe; ſed Andegauenſem interea vicaria dignitate ornaſſe, ne quid detrimenti cape-

caperet IMPERIALIS Etruria. Quod sane litterae eiusdem Clementis clarissime comprobant.

§. XL.

Vnde cogitur, non tam libertatem recepisse Florentinos, quam Dominum mutando in Caroli Andegauensis seruitutem incidisse; qui iis praefectum illa fini dedit, vt Welphos in odio erga Gibellinos, hosque in officio contineret; cum interea Carolus iuxta Beneuentum Manfredi exercitum ad internecionem deleret, suumque aduersarium neci daret. Nec negandum, in obsequio noui Neapolitani Regis, quem Papa, vti indicauimus vacante imperio in Etruria pacis seruatorem constituit, Florentinos perstitisse, nec Gibellinos hiscere ausos ea in vrbe: etsi postea Conradinus magna Teutonicorum caterua stipatus in Italiam descenderet, perque ambages in Tusciam contendens a Senensibus atque Pisanis honorifice exceptus, ac multis vndique bonis sit cumulatus: qui postremi aliquot ante annos etiam Alphonso Castellae Regi vt Italiae Domino et Romanorum Imperatori per legatos obsequium et fidelitatem promisere: documentum eo pacto daturi, quam nondum fuerit vndique extincta Germaniae Regum in Tuscia maiestas. Bina hanc in rem instrumenta eaque singularia profert in *Annalibus Pisanis* Paulus Tronci, quos Italico sermone edidit a. 1682. 4. quae quoniam digna lectu, hoc loco exhibebimus:

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI AMEN.

*QVia vos Excellentissimum et inuictissimum et Triumphatorem Dominum Alphonsum Dei gratia Regem Castellae, Toleti, Legionis, Galletiae, Sibiliae, Cordubae, Murciae et Gienuae, commune Pisanorum et tota Italia, et totus fere mundus cognouit excelsiorem super omnes Reges, qui sunt, vel fuerunt vnquam temporibus recolendis, praesertim gratia spiritus dati vobis, diui-*

*nitus inspirata vos dote multiplici decorante, et vos etiam sciuerunt prae aliis pacem, veritatem, misericordiam, et iustitiam diligere, et esse prae aliis christianissimum, et fidelem, et cognouerunt etiam ad nos ampliationem honoris Matris Ecclesiae Romanae, et bonum eius statum, nec non etiam Romani imperii toto animo aspirantem, et imperium nimis vacasse, et ab aemulis dilaniatum, et vos cognouerunt esse natum de progenie domus Ducum Sueuiae, ad quam de priuilegio Principum et de concessione Romanue Ecclesiae Pontificum Imperium iuste, et digne dignoscitur pertinere, et successione ad vos, qui ex eadem domo descenditis recta linea, et per vos cum succedatis Excellentissimo Manuelis olim Rom. Imperatori, Imperia abusiue diuisa in vnum videantur posse colligi, et in vobis indiuisibiliter conueniri, sicut tempore Caesaris et Constantini christianissimi fuit vnum, et propter praedicta motus animorum, et oculi sanctorum, et discretorum hominum et Principum et Baronum et Dominorum, et communium et totius Populi Italici et etiam Teutonicorum; et aliorum de imperio in habendo vos dignum et Romanorum Regem, et Imperatorem sunt directi. Idem ego Bandinus Lancea, filius quond. Dom. Guidonis Lanceae de casa Lei de Pisis Missaticus, Ambasciator Sindicus, et Procurator Comm. Pisanorum, sindicat. nomine proprio communis et ex Baliis et Potestatibus et mandatis mihi concessis per publicum instrumentum ad gloriam Dei et ad honorem gloriosissimae Virginis Mariae matris Christi Dei viuentis, et omnium Sanctorum, et Sanctarum Dei, et ad honorem Sanctae Matris Ecclesiae Romanae, et eius Antistitis, suorumque fratrum et ad honorem, bonum statum Principum, Baronum, Comitum, Marchionum, Procerum et aliorum omnium Dominorum, et Ciuitatum, Terrarum, et omnium communium et totius populi christiani et imperii Romanorum, inuocata gratia vnius Dei et indiuiduae Trinitatis, Vos Dominum Alphonsum praedictum praesentem pro toto imperio Romanorum, et eiusdem imperii nomine, et totius populi de imperio, eius negotium* VTILITER *gerendo, in Romanorum Regem, et Imperatorem Romani imperii nunc vocantis eligo, et assumo, promoueo atque voco. Quare nos praedictus Alphonsus Rex praedictam assumptionem, promotio-*

*motionem et vocationem et omnia praedicta Spiritus Sancti gratia inuocata, ad gloriam Dei, et ad honorem Virginis sanctae Mariae, et omnium Sanctorum, et Sanctarum, et ad honorem Sanctae Matris Romanae Ecclesiae, et eius Antistitis, suorumque fratrum, et ad honorem et bonum Statum Principum, Baronum, Comitum, Marchionum, Procerum et aliorum omnium Nobilium et Ciuitatum, Terrarum, et omnium communium, et totius Populi christiani et imperii Romanorum acceptamus, recipimus, volumus et firmamus, et in signum et inuestituram dicti imperii, ego iam praedictus Bandinus Sindicus, sindicorum nomine pro communi Pisanorum et pro omnibus suprascriptis, vt seruus Iesu Christi per vetus et nouum Testamentum et crucem et ensem vos praedictum Dominum Alphonsum inuestio, et flexis genibus osculum pacis et fidelitatis pedi vestro porrigo, et ex nunc pro communi Pisanorum et pro omnibus praedictis pro Rege Romanorum et Imperatore recipio, et ab hora in antea habebo et teneho, et vt modo legitimo Imperatori adhaereo, toto tempore adhaerebo etiam vestris filiis, et haeredibus vobis in hoc honore succedentibus, et sic ad Sancta Dei Euangelia iuro. „Quam inuestituram, et omnia praedicta nos praedictus Alphonsus Rex, sicut dictum est, recipimus, et ad veritatis memoriam, de praedictis perpetuo conseruandam, et praedictus Dominus Rex me, Mattheum Notarium filium quond. Saluii de ciuitate Pisarum de praedictis omnibus, vt supra scripta sunt, cartam et cartas publicas, vnam, et plures et semel, et pluries scribere, et firmare, et in publicam scripturam redigere rogauerunt. Acta sunt haec omnia in Villa de Soria de Hispania Regni Castellae in Palatio Regali supradicti Domini Regis in praesentia mei Matthaei Notarii supradicti, et in praesentia DD. Fratris Stephani de ordine Fratrum Predicatorum, Archiepiscopi Toletani, Fratris Laurentii de Portugallia de ordine Fratrum Minorum Poenitentiarii Dom. Papae, et prosecutoris negotii crucis in tota Hispania et Suerii Petri Episcopi de Zamorra, iam d. Dom. Regis Notarii, et Garziae Petri Archidiaconi Marrochitani, testium ad haec specialiter vocatorum et electorum d. I. Anno MCCLVI. secundum cursum Pisarum Indict. XIV. XV. Kal. Aprilis.*

*Ego Mattheus Saluii Qu. filius, Sereniſſimi Romanorum Imperatoris Notarius praedictis omnibus interfui, et haec omnia rogatu praeſenti Dom. Alphonſi in Romanorum Regem, et Imperatorem electi, et praefati Sindici ad veritatis memoriam perpetuo conſeruandam ſcripſi, et meo ſigno firmaui.*

Sequitur nunc priuilegium Piſanis ab Alphonſo Rege datum:

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI AMEN.

*NOs Alphonſus Dei gratia in Romanorum Regem, et Imperatorem electus, Rex Caſtellae, Toleti, Legionis, Galletiae, Sibiliae, Cordubae, Murciae et Gienuae. Cognoſcentes deuotionem ſinceram, et fidei puritatem, quam commune Piſanorum erga Romanum Imperium, et Anteceſſores noſtros Romanorum Imperatores, et Maieſtatem noſtram ſemper habuit prae ceteris clariorem, et ſeruitia, et excelſa, quae hactenus praeſtitit, et in antea, dante Domino, habebit, et affectuoſe praeſtabit nobis, et noſtris filiis, qui honore imperii fuerint decorati. Conuenimus et promittimus tibi Nobili viro Baudino Lanceae, filio quond. Dom. Guidonis Lanceae de caſa Lei de Piſis Miſſatico, Ambaſciatori, Sindico et Procuratori communis Piſarum, Sindicatus nomine pro ipſo communi, et ciuitate Piſanorum recipienti, quod faciemus, et iurabimus pro toto conamine, et poſſe noſtro, quod dante Domino, eiusque fauente clementia, imperium Romanum conſilio, et auxilio communis Piſarum et aliorum noſtrorum fidelium obtinebimus, et manutenebimus vniuerſum, et quod tempore noſtrae coronationis Romam, vel ad D. P. P. ſecundum quod alterum magis de conſilio noſtro, ipſius Communi Piſarum, et aliorum fidelium imperii et Regnorum noſtrorum praeceſſerit vtile, veniemus magnifice, ac potenter, vt noſtram decet Maieſtatem, et quod ad imperium manutenendum et augendum erimus ſtudioſi pro poſſe noſtro, et operam dabimus efficacem. Et quod imperii fideles noſtros manutenebimus iuſtitia, commodo et honore, et infideles ſubiugabimus nobis iuxta diuinam potentiam nobis datam, et praecipue Piſanos, vt fideliſſimos honorabiliter tracta-*

*tractabimus, et eos ex nunc sub nostra custodia, tutela, protectione, omnimodaque defensione recipimus contra omnem personam, et locum, et omnes suos honores, et iura, dignitates, possessiones, priuilegia, bona, consuetudines, comitatum, et districtum eis seruabimus et seruari faciemus, et mandabimus per officiales nostros, prout nunc habent, et tenent, et eisdem a Diuis Romanorum Imperatoribus sunt concessa, et ex nunc ea omnia auctoritate, qua fungimur, confirmamus, et tempore nostrae Imperialis Coronae per priuilegium promittimus confirmare, et ex nunc Comitatum, districtum, Ciuitates, Castra, Villa, Loca et Insulas prout communi Pisanorum a diuis Rom. Imperatoribus sunt concessa, tibi pro communi Pisano, et ipsi communi Pisano in* FEVDVM, *et nomine* FEVDI *damus, concedimus et largimur, et ea auctorizzare, et defendere ab omni persona, et loco tibi pro dicto communi, et ipsi communi Pisarum promittimus; Et inde te per* VEXILLVM, *quem in manu tenemus de nostris armis inuestimus, et tempore nostrae coronationis* ENSEM, *et* VEXILLVM *eidem communi concedemus.* „*Quare ergo supradictus Bandinus Sindicatus nomine pro dicto communi Pisarum, et omnibus adhaerentibus, de communi conuenio et promitto vobis supradicto D. Alphonso Dei gratia in Romanorum Regem, et Imperatorem electo, quod commune Pisarum Maiestatem vestram, et Personam vestram et filiorum vestrorum, et omnium Nuntiorum, qui pro vobis fuerint, saluabit et custodiet in terra, et mari, et vbique iuxta suum posse, et scire, omni tempore, bona fide: Et quod commune Pisarum non erit in consilio, consensu, vel facto, quod vestra maiestas, vel filii vestri, vel* VICARIVS *vester in Italia, vel Capitaneus vester in Tuscia, siue Nuntii, atque officiales perdant vitam, vel membrum, vel capiantur mala captione, aut perdant imperium, vel honorem, Regnum, vel terram, quam nunc habetis, vel in ante, dante Domino, acquisieritis, et si sciret, vos, et ipsos recipiet honorabiliter debitis reuerentia, et honore, et quod omnia, et singula consilia, quae vos, vel alii pro vobis petieritis a dicto communi fideliter, et recte dabit, prout diuina gratia ministrabit, et quod omnes credentias, quas sibi mandaueritis, vel Vicarius vester in Italia sibi mandauerit, siue Capitaneus in Tuscia seruabit, et*

*tenebit, et ad damnum credentiae non manifestabit. Et quod operam, et studium, et iuuamen dabit Comune Pisanorum iuxta suum posse, vt antecessoribus Imperatoribus fecit, vel facere consueuit, quod imperium vniuersum in tranquillitate, et pace habeatis, et possideatis in perpetuum, vos et vestri filii legitimi, qui vobis in hoc honore succesſerint, bona fide sicut Romanorum antecessores Imperatores, etiamsi aliqui de Imperio, vel pro Imperio contradixerint. Et quod omnia, et singula quae alicui Romanorum Imperatorum antecessorum vestrorum dictum comune fecit, vel tenet facere, seu consueuit, faciet vobis et vestris filiis legitimis, qui vobis in hoc honore succesſerint, tam per mare, quam per terram bona fide, sine fraude, et remota omni malitia. Et quod* SACRAMENTVM FIDELITATIS *Imperatoribus consuetum, tam per Potestatem, quam per Capitaneum Populi et Antianos, et Senatores, et Capitaneos militum, et Consules ordinis Maris, et Consules Mercatorum terrae, et Consules artium, et omnes officiales, et populum vniuersum, tam de ciuitate, quam de districtu, et Insulis per sacramentum populi Pisis praestare consueuerunt, dictum commune praestabit ad vestram, vestrorumque Nunciorum requisitionem, et ex nunc ego dictus Bandinus Sindicatus nomine pro dicto Communi, inuocata Christi gratia, et auxilio, ad gloriam Dei omnipotentis, et ad honorem gloriosissimae virginis sanctae Mariae, et Archiepiscopi, et Archiepiscopatus Pisani, et Ecclesiae Sanctae Mariae Maioris eiusque Capituli et aliarum Ecclesiarum, et dictorum Potestatis, et Capitanei, Antianorum et aliorum omnium praedictorum in animas dicti comunis, et omnium, et singulorum Pisanorum, ex licentia, et potestate mihi data per publicum instrumentum bullae cerae Pisis comunis bullatum, Sacramentum fidelitatis facio, sicut Pisani consueti sunt facere Imperatoribus Romanorum vobis Dom. Alphonso praedicto Excellentiss. et Inuictiss. Roman. Imperat. et iuro ex nunc, comitatum districtum, ciuitates, castra, villas, loca et insulas prout communi Pisa a Diuis Imperatoribus sunt concessa a M.V. pro Com. Pisar. Sindicatus nomine me in feudum fateor recepisse; Et ad veritatis memoriam de praedictis in perpetuum conseruandam praefatus Dominus Imperator, et dictus Sindicus*

*me*

*me Mattheum Notarium filium quond. Saluii de ciuitate Pisarum de praefatis omnibus, vt superius dicta sunt, cartam, et cartas publicas vnam, et plures, semel, et pluries scribere, et firmare, et in publicam redigere rogauerunt. Acta sunt haec omnia in villa de Soria de Hispania Regni Castellae in Palatio Regali suprascripti D. Regis in praesentia Domini. Fratris Stephani de ordine Fratrum Praedicatorum Archiepiscopi Toletani et Frat. Laurentii de Portugallia de ordin. Fratrum minorum, Poenitentiarii Dom. Papae, et prosecutoris negotii crucis in tota Hispania et Suerii Petri Episcopi de Zamorra iam d. Dom. Regis Notarii et Garziae Petri Archidiaconi Marrochitani testium ad haec specialiter vocatorum et electorum D. I. Anno MCCLVI. secundum cursum Pisanorum Ind. XIV. XV. Kal. Aprilis.*

## §. XLI.

Post Conradinum infelici fato extinctum Gregorius X. Pontifex gliscentes in vrbe Florentina factiones conciliare sibi omni studio satagebat. Neque enim peritiores harum rerum latet, Gregorium ipsummet Florentiam iuisse, et, pacis formula Guelphis Gibellinisque proposita, sub comminatione grauis mulctae sanxisse, vt concordes perseuerarent; memoratque Ptolomaeus Lucensis Gibellinos et Welphos connubiis iunctos. Sed euenit praeter spem, vt propter impotentiam Carolini praefecti voti sui non penitus damnaretur, Gibellinos omni seueritate persequentis. Hinc ipsum Regem impensis precibus orauit, argumentisque non contemnendis commonefecit, vt alium magis idoneum promouendae concordiae hominem turbulento Ioanni de Bussouia sufficeret: Florentinis interea quibusdam, qui ipsi similiter aduersabantur, ab ecclesiae communione segregatis. Quos inter motus denique Rudolphus Habspurgicus in regni Germanici solium est euectus; de quo tanto maiori cura verba sunt facienda, quanto certius constat, a multis iactari, Tusciae eu n

ciuita-

ciuitatibus inque primis Florentinae libertatem pretio vendidisse.

§. XLII.

Igitur tenendum, Gregorium X. Pontificem perspicue tandem intellexisse, quam sit difficile Carolum Andegauensem victorem intra modestiae limites continere; vt qui toti Italiae inhiare vtique videbatur, et Welphicae factionis praesidio turbare omnia. Qua de caussa, cum variae simul e Germania quaerimoniae intercurrerent, auctor is suasorque Teutonici regni Principibus fuit, vt Regem eligerent orbi salutarem. Cuius monitis sicuti locus merito est relictus; ita Rudolphus vir sapiens plurium suffragiis electus, et a Gregorio X. Lausannae a. CIↃ CCLXXV. pro legitimo Romanorum Rege est agnitus; posteaquam GENERATIM iura Romanae Ecclesiae multis nobilibus et Teutonicis principibus praesentibus confirmauerat, tabulis a Fontanino aliisque productis egregie hoc confirmantibus, a quibus Annales Colmarienses vix dissentiunt.

§. XLIII.

Post obitum Gregorii X. aliquandiu quieuit de Italiae rebus disceptatio, Praesulibus Innocentio V. Hadriano V. haud diu vitae vsura fruentibus, donec Ioannes XXI. an. CIↃ CCLXXVI. nec ita multo post die XXV. Nouembris eodem anno Nicolaus III. Pontificiae dignitati initiaretur. Et hic vero manibus pedibusque obnixe omnia faciebat, vt suam auctoritatem partim contra Rudolphum, partim aduersus Carolum Neapolitanum Regem solidius firmaret, vnde nouitatis probrum ei obiectum a Ptolomaeo Lucensi aliisque. Neque enim diffiteri possumus, Ioannem XXI. expetiisse omni voto, vt Rudolphum inter et Carolum Andegauensem pax coiret, dubiis simul Pontificum iuribus in tuto constitutis, quamuis Imperatorem in Italia praesentem nollet.

let. Quo morte inopina sublato, tandem Nicolaus III. maiori studio coepta perficere negotia contendit. Extant hanc in rem litterae apud Rainaldum ad a. 1277. vnde enixum Nicolai desiderium perspicue intelligitur.

## §. XLIV.

Atque eo demum tempore Frater Conradus a Tubinga minorum superioris Germaniae minister Romam accessit pleniſſimo mandato ad tractandum instructus. Non iam afferam, quae Romaniolae et Bononiae causſa sint cum Pontifice disputata et peracta: ea etenim plene excussere L. Antonius Muratorius et Iustus Fontanini dissertationibus suis in vtramque partem publicatis. Potius adnotabo, fecisse Nicolaum III. vt Carolus Andegauensis tum senatoriam Romae, tum vicariam in Etruria dignitatem dimitteret. Iam enim ipsi aequum videbatur Pontifici, vt, dum Rex Romanorum, post longam exspectationem, appareret certus legitimaque ratione electus, vicarius Regis diu desiderati imperio sese abdicaret, ac vero ac naturali Italiae Domino, vacuefactis vrbibus et castellis milite, sine mora cederet. Eam ob rationem euenit, vt Rudolphus Henricum Fürstenbergium, *quem carnem de carne sua, atque os de ossibus suis appellabat*, praefectum et rectorem in prouincia Italica, hoc est, Romaniola constitueret, dein Rudolphum Cancellarium in Etruriam mitteret, ac denique Ioannem de Auenis ampliſſima cum potestate eidem Principatui praeponeret. Id memoratu dignum, non prius relictam a Carolo Etruriam, posteaquam cum Romano Praesule res essent compositae. Vnde in annalibus eius temporis frequens de legatis a Rudolpho Romam missis; neutiquam vero de Tusciae aliarumque Italiae prouinciarum rectoribus mentio occurrit; donec demum a. 1280. Rudolphum inter et Carolum hortatu Nicolai III. et Godefridi Solienſis Praepositi,

Imperatorii legati interuentu concordia coiret, et Carolo Martello Caroli Regis Nepoti Clementia, Caesaris filia, desponsaretur.

## §. XLV.

Ab illo, repeto, temporis momento in Italia rectores Tusciae Romaniolaeque a Caesare Rudolpho missi visuntur. Saltem Henricus Fürstenbergius a. 1279. mense Martio adhuc in Germania agebat, quod e tabulis transactionis Rudolphi et Nicolai III. luculenter patet, quibus is Wormatiae subscripsit. Vnde concludendum, eas, quas Lambecius in *Commentariis ad Bibliothecam Vindobonensem* in *addit. 8.* Tom. III. exhibet litteras, quibus dicto Fürstenbergio Romaniola decernitur regenda, post hunc annum fuisse scriptas. Quin vix ambigo, recte sentire Gerardum Roum, Rudolphum ab Hoheneck in Tusciam ablegatum memorantem. Fuit enim hic primarius aulae Caesareae administer, Rudolphi Cancellarius ac Praesul demum archiepiscopatus Salisburgensis. Sed credo, aliter rem euenturam fuisse, si Nicolaus III. diutius vitam propagasset. Exploratum enim habemus, Pontificem hunc vastis consiliis deditum duos in Italia Reges stabiliendos censuisse, vnum in Longobardia, alterum in Tuscia; quorum primus Rudolphi ausibus, si qua eum cupiditas opprimendi Italiam incesseret, resisteret, Carolo, alter, si repetere dignitatem Romani Senatoris cuperet ac Tusciae dominatum affectaret. Saltem hanc rem Ptolomaeus Lucensis in Historia Ecclesiastica, aequalis fere Rudolpho et Nicolao III. auctor, vt et Iordanus MS. copiosius describunt, quam Platina et Blondus idem Nicolai propositum e Ptolomaeo strictim indicantes: *Tractabat*, inquit Iordanus, *idem Pontifex cum dicto Rege* (Rudolpho) *super nouitatibus faciendis in imperio, vt videlicet totum imperium in quatuor diuideretur partes, in regnum Alemanniae, quod*

*dabatur*

*dabatur posteris Rodulphi perpetuum; in regnum Viennense, quod dabatur in dotem vxori Caroli Martelli filiae dicti Rodulphi: de Italia vero praeter regnum Siciliae duo regna fiebant, vnum in Lombardia, aliud in Tuscia: sed interim Papa mortuus est.*

## §. XLVI.

Ceterum hic ille Rudolphus est, qui S. Miniati aliquandiu residens cum Lucensibus bellum gessit Pesciam comburentibus. Memoratu digna sunt laudati Ptolomaei Lucensis verba ad a. 1281. *Causam combustionis ferunt fuisse, quia se* SVBIECERVNT CANCELLARIO *Imperatoris Rudolphi, cui subiici non debebant, nisi appareret confirmatio eiusdem per summum Pontificem.* Sed bene obseruat Ptolomaeus, Lucenses admodum displicuisse Nicolao eiusque successori tam immania molientes. Eadem fere narrat Placidus Puccinelli in commentariis Italico sermone exactis *dell' insigne e nobile terra di Pescia* p. 330. nisi quod addit, effeciisse Florentinos auctoritate sua, ne tota ciuitas solo aequata summum diem haberet.

## §. XLVII.

Ac verisimile fit, Rudolphum hunc Hoheneckiorum genere satum paullo ante obitum Nicolai III. initioque Pontificatus Martini IV. (quem rectius Martinum II. vocares, cum duo Marini ex errore pro Martinis sint habiti) in Italiam venisse; pertinetque eo sine dubio epistola Romani Praesulis ad *Etruriae Marchiones, Comites et potestates* scripta apud vrbem veterem a. 1281. XII. Kalendas Iunii, qua Rudolphi Romanorum Regis in Etrutiam ius disertis verbis agnoscit, simulatque monet, vt vel vtrumque Caesaris vicarium, Episcopum puta Gurcensem et Rudolphum Cancellarium, vel vnum illorum subiecta mente agnoscerent, iisque ea, qua par est, obseruantia obedirent. Credibile est,

Rudolphum Cancellarium tandem obtinuisse primas. Quis autem ille fuerit Episcopus Gurcensis facile est inuestigatu. Rexit enim hanc Ecclesiam ea aetate Geroldus.

§. XLVIII.

Sed mage dignum quaeri, qua felicitate in Etruria vsus ille sit Vicarius Imperatoris? Et Pisanos fidelitatem iurasse illi intelligimus, qui non procul ab hac ciuitate sedem potestatis ac imperii, S. Miniati nempe, constituebat. Etiam certissime constat, Pisanos a Rudolpho Imperatore petiisse per oratores suos, vt ipsemet in Italiae regna sese conferret; affuturos se illi omni ope. Cui petito vtut Caesar locum non relinquebat; tamen pollicebatur, se equites quingentes missurum in Tusciam, quibus ad officium compelleret repugnantes Legato suo. Sed hae vero copiae, quae demum ad trecentos equites redigebantur, non sufficiebant ad Lucenses et Florentinos cogendos, libertatem praetexentes subque hoc velo obedientiam ac iusiurandum negantes: probe gnari, Rudolphum bellis ac rebus Germaniae ordinandis impeditum nec venturum, nec satis etiam virium habere exequendi decreta; veritati conuenienter haec referente Paulo Tronci in *Annalibus Pisanis*, qui tamen in eo vehementer errat, quando vnum e vicariis LVLDO appellat. Aut enim is in commentariis patriis, vnde sua exscripsit, legere debuisset *Gerolde*, qui Episcopus erat Gurcensis, aut *Rudolpho*, qui Cancellarii aulae imperialis elogio decoratur. Ceterum ambiguum manet, quod habent Trithemius atque annales Pisani, Rudolpho huic pro redimenda vexatione certam pecuniae summam a Florentinis, Lucensibusque esse numeratam, antequam in Germaniam remigraret.

§. XLIX.

Verum tamen vix est negandum, Vicarium hunc a Rudolpho Caesare a. 1284. esse reuocatum, ac dein defuncto Archi-

Archiepiscopo Friderico in Saliburgensis Ecclesiae rectura successisse. Probant primum Rudolphi Ioanni de Auesnis Comiti Hannoniae datae litterae, quas vt inseramus nostro libello operae pretium iudicamus.

*RVdolphus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus, vniuersis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et aliarum ecclesiarum praelatis, principibus, nobilibus, comitibus, ciuitatibus, communitatibus, vniuersitatibus, oppidis, castris et villis et personis singularibus quibuscumque in partibus* TVSCIAE *constitutis gratiam suam et omne bonum. Commissiones, seu procurationes quascunque honorabili viro* RVDOLPHO *electo Salzburgensis ecclesiae imperialis aulae cancellario in bonis, possessionibus, redditibus, prouentibus, ciuitatibus, castris, munitionibus, iurisdictionibus, nec non aliis in quibus mandatum requiritur speciale de terra Tusciae per nos factis in omnibus suis articulis expressius reuocantes, ad notitiam vestram cupimus peruenire, quod nos spectabilem virum* IOHANNEM *de Auesnis, Comitem* HAYNNONIAE *fidelem et familiarem nostrum dilectum constituimus, facimus, et ordinamus nostrum et Romani imperii in partibus Tusciae vicarium generalem, et insuper Procuratorem et nuntium nostrum ad exigendum, petendum, et recipiendum nostro et eiusdem imperii nomine fidelitatis, homagii, et seruitii nobis debiti sacramenta a quibuscumque personis, vel locis nobis in eisdem partibus Tusciae eadem debeantur, et ad petenda et recipienda bona, possessiones, redditus, prouentus, ciuitates, castra, munitiones, iurisdictiones, et iura quocumque nomine censeantur in eisdem partibus Tusciae pertinentia ad nos et imperium supradictum, et ad ordinandum et disponendum de ipsis quicquid sibi videbitur expedire, et iudices et officiales constituendum in negotiis et causis quibuscumque, sicut nos ipsi eosdem constituere possemus, si praesentes essemus, et ad statuendum, tractandum, et faciendum in praedictis partibus Tusciae omnia et singula, quae verus et legitimus vicarius, procurator, et nuntius, plenum mandatum et liberam administrandi potestatem habens a nobis, facere potest et debet de consuetudine, vel de iure in illis etiam casibus, in quibus mandatum requiritur speciale.*

*Sententias etiam, bona, poenas et multas tam in cauſis criminalibus, quam pecuniariis, et aliis quibuscumque, quas idem vel conſtituti ab eo iudices, officiales, vel executores tulerint, impoſuerint, vel exegerint ratas habebimus, et faciemus, Domino concedente, inuiolabiliter obſeruari. Damus praeterea praedicto comiti plenam et liberam poteſtatem et ſpeciale mandatum rebelles et indeuotos, ſi quos (quod auertat Altiſſimus) in partibus Tuſciae repererit, qualiscumque conditionis extiterint, priuandi feodis, caſtris, terris, gratiis, libertatibus, diſtrictibus, priuilegiis, iuribus et iurisdictionibus quibuscumque, quos, quas, vel quae iidem tenere ab imperio dinoſcuntur. Nos quoque gratum, ratum et acceptum habebimus, quicquid per dictum Vicarium, procuratorem et nuntium noſtrum actum et geſtum, ſtatutum, iudicatum et ordinatum fuerit, in praemiſſis et circa praemiſſa, vel quibuslibet praemiſſorum.*

*In cuius rei teſtimonium, praeſentes litteras fieri et pendenti ſigillo noſtrae regiae maieſtatis in euidens teſtimonium praecepimus communiri. Datum Friburgi, Kal. Maii indictione XII. anno Domini MCCLXXXIV. regni vero noſtri anno XI.*

§. L.

De quo antequam dicam, non nihil monendum eſt de Cuſpiniani traditione ſuſpecta pleriſque Luchinum Maphæum Etruriae Vicarium ſtatuentis. Ego medicum ceteroquin doctiſſimum ea putem occaſione deceptum, quod is Piſanorum rectorem Ioannem Luchinum, patria Comenſem, eo vixiſſe tempore inuenerit Caeſari eiuſque vicario RVDOLPHO fauentem. Saltem hoc commentarii ciuitatis Piſanae tradunt, atque ex illis Paulus Tronci. Ioannem Hannonium autem exiguo temporis ſpatio in Etruria egiſſe inde palam fit, quod anno ſequenti 1285. pedem is in patriam retulit. Nullum mihi dubium haeret, quin mors Martini IV. quae illo anno euenit, in cauſa fuerit, quare tam praecipiti curſu iter relegeret: Honorio IV. aliud animo agitante, vt qui ſua auctoritate lubituque res imperii tueri et ordi-

ordinare in Tuscia satagebat. Vt ita rationes subducam, Huldericus Mutius efficit vera interdum scribens ex antiquioribus, quos legit, auctoribus. Hic enim cordate fatetur, pro arbitrio Pontificis egisse, Honoriumque tam contemptim habuisse Rudolphum, vt imperiales Tusciae praefectos legeret ipse. Referam hoc Mutii ipsissimis verbis: *Sub idem tempus Honorius quartus eius nominis, Papa fecit comitem Ianuensem, nomine Pinziuallam de Fliſco, vicarium generalem imperii, misitque eum in Germaniam ad Rudolphum Imperatorem cum mandatis, vt Rudolphus hunc Vicarium confirmaret. Quod fecit in gratiam Pontificis Imperator, quanquam inuitus, male enim habebat eum, quod Pontifex hoc ius in imperio sibi arrogabat, alium enim Vicarium Rudolphus maluisset. Hic igitur imperii Vicarius Pinziualla vbi in Italiam rediit, ingressus Tusciam vocauit ad se Senenses, Florentinos, Lucanos, Pistorienses, et alios aliarum ciuitatum populos, postulatque ab eis iuramentum nomine Imperatoris.*

§. LI.

Quanquam vero non sum nescius, Mutium Scriptorem esse sequioris aeui, aequalem Maximiliano I. non est tamen negandum, similia fere legi apud Iordanum MS. cuius verba Odoricus Raynaldus exhibet ad a. 1288. Nicolao IV. iam Romanam sedem tenente: *Rex Rudolphus*, inquit, *vicarium misit in Italiam, Dominum Priaualem de Fliſco, qui ditior clericus erat in simplicibus praebendis, quam aliquis clericus, et omnibus cessit propter dictum Principatum. Factus est autem tantum pauper, quod coactus est vendere iurisdictionem imperii ciuitatum Tusciae. Vnde Lucani dederunt ei de dominio, quod habebant in suo territorio, duodecim millia florenorum.* A quo cum non dissentiat Ptolomaeus Lucensis in annalibus anno iam notato, non erit forte ab re, vt etiam grauissimi

uissimi scriptoris huius verba hic legantur: *Eodem*, inquit, *tempore fuit vicarius in Tuscia Regis Alamanniae Dominus* PRINCIVALIS, *a quo Lucenses redemerunt* DOMINIVM IMPERIALE *12. mille florenis.* Igitur habemus Principualem Dominum de Fliſco, Comitem Ianuensem. Duntaxat in chronologia aliquid dubii supereſt. Mutius Principualem imperium vicarium Honorii IV. interuentu obtinuisse scribit; idque admodum videtur vero consonum. Neque enim de Ioanne Hannonio, quem certo in Tuſciam misit Rudolphus Caesar, vti e diplomate excitato constat, quidquam in commentariis veterum συγχρόνοις obseruatur; vnde cogitur, perquam exigui dramenti Ioannis de Auenis recturam extitisse: inprimis cum Henricus Basileensis, *Knoderer* dictus, a. 1285. Romam sit missus de quo, obscure licet, aequales auctores testantur, *eum cum membranis sigillo Rudolphi Caesaris sigillatis ad ciuitatem Romanam iuisse atque ibidem sedi Apostolicae Romandiolam et quaedam alia in damnum graue imperii dedisse: atque habitis quibusdam tractatibus nomine* REGIO *sigillasse.* Saltem haec Alberti Argentinensis verba sunt; persuasumque haud temere habeo, Rudolphum Henrico auctore Principualem in munere suo confirmasse, qui dein, Nicolao IV. florente, tributum exegerit a Lucensibus, quos diserte nominat Ptolomaeus, 12000. aureorum, ne praefectum imperialem cogerentur recipere, sed suo more, veluti ciuitates liberae, magistratibusque vterentur. Plus enim nec dedit, nec sine Electorum principum imperiique consensu dare potuit. De Florentinis vero ne verbulum occurrit, adfirmatque Borghinius in singulari dissertatione: *Se Firenze ricomperò la libertà da Ridolfo Imperadore*, nihil litterarum atque argumenti ea de re tum in tabulario Florentino, tum in

vrbis

vrbis eius annalibus extare. Ac Iordanus MS. hoc tantum adseuerat, Principalem Tusciae ciuitates circumiuisse, vt aurum haberet: de Florentia speciatim nullam mentionem facit. Et credo, omnium obstinatissime Florentinos sese gessisse, nec Borghinio hac in caussa fides est deneganda; dummodo teneas, in hoc Borghinium male subducere rationes, quando ante Rudolphum Caesarem libertatem ciues suos *iure* iam obtinuisse temere autumat. Potius dicendum, *ex facto* eos repugnasse Germanorum Regi Tusciaeque Rectoribus: vt qui probe intellexerant, Rudolphum vix descensurum in Italiam, quanquam ab Honorio IV. et Nicolao diadema imperiale iterato petiit. Haec in re obscura vel certa, vel veritati adprime consentanea sunt (*), Rudolpho interea sine vnctione Pontificali ad superos abeunte, vt qui Romani Praesulis artes atque Italorum subdola consilia nunquam non habuit suspecta.



(*) Et fac, aliquid etiam auri nummorumque Florentinos Fisco soluisse. Quid tum? Vix enim inde concludetur aliud, quam tributum iure imperii ab iis esse exactum. Bene hoc perpendit Vbertus Folieta in *clarorum Ligurum Elogiis*, quando de Principalle Fisco sequentia: IACOBI *aetati et gloriae succreuit* PRINCIVALLES FLISCVS, *ipse quoque ad summos honores a Rudolpho Caesare elatus. Vicarius enim in Italia imperialis fuit. Amplam vero et splendidam eam fuisse procurationem (quanquam rerum Principalis parua, neque ea admodum explicata exstant monumenta, quae quidem ipsi viderimus) hinc statuere licet, quod in Hetruscis Annalibus legimus,* PRINCIVALLEM *Caesaris nomine Hetruriae ciuitatibus* TRIBVTA *imperasse, illumque in bellis, quae per eadem tempora in Hetruria gesta sunt, inter primores Duces cum summo imperio fuisse varia fortuna vsum.*

§. LII.

Et hunc vero, quum in regno exciperet Adolphus Nassouius, clarius sane patuit, quae esset Pontificum mens, quodue propositum. Rege enim Ioannem de Gabillone in Italiam mittente, vt vicarii Regis partes sustineret, ac Tusciam nomine imperii repeteret, ciuitates pleraeque ad Bonifacium VIII. se recepere, orantes, ac magnam pecuniae summam promittentes, vt ab hoc sese onere liberaret. Clare hoc detegit Ptolomaeus Lucensis in Annalibus ad a. 1296. *Eodem anno Adulphus Rex Alamanniae et Romanorum, Dominum Ioannem de Gabillione mittit Vicarium in Thusciam, quem Papa Bonifacius consentanee recepit: vnde dictus Bonifacius Thuscos requirit et dicti* THVSCI VOLENTES EXCVTERE IVGVM DE MANIBVS IMPERII, *eidem Bonifacio obtulerunt 80. mille florenos, quamuis non esset necessarium: quia adhuc dictus Adulphus confirmatus non erat in imperio, et ideo eidem administrationis non competebat officium, nisi quantum suae genti placebat, propter quam causam dictum Dominum Ioannem Papa remisit ad propria, dando fratri suo Episcopatum Leodiensem, et* PECVNIAM *sibi retinuit pro terris imperii eidem collatam, in hoc volens ostendere, dominium Papae dominio Imperatoris praeferri.* Notet lector Tuscos iugum imperii voluisse excutere: quocirca cogitur, eos Rudolpho imperante, iurisdictionem imperii, quam iugum immerito vocat Lucensis, nondum excussisse. Nec male concluditur, libertatem illos non videri redemisse, qui denuo in numis praesidium quaerunt, atque immane argentum numerant. Bonifacius vero quam fuerit pecuniae appetens, quamque iniquus arbiter, perspicue elucet, si Ptolomaeo fides est tribuenda; vti haud temere tribuitur. Erat hic Ioannes Gabillonensis potens Burgundiae Princeps, qui cum Altissiodorensis Comitis filia tum hunc Comitatum, tum alias non

sper-

spernendas terras est indeptus: cuius Frater Hugo ad Leodiensem Episcopatum, Bonifacio auctore, est euectus, vti e Ptolomaeo Lucensi percepimus.

§. LIII.

Quod quo minus maneat ambiguum, considerandа sunt Bonifacii noua molimina. Innotescit quippe plus satis, Pontificem hunc totam denique Tusciam affectasse, eamque ab Alberto Austriaco Rege ea de causa repetiisse, quod iam olim pertinuerit ad ecclesiam Romanam. Probo hoc e *Breui*, seu litteris ipsius Bonifacii, quas Muratorius in dissertatione sua *de iuribus imperii iniustatum Ecclesiae Romanae* in Bibliotheca Atestina integras, simul atque hac cum rubrica inuenit: *Breue continens, quod D. Bonifacius Papa VIII. scripsit Duci Saxoniae, hortando eum gratiose, vt induceret Albertum Ducem Austriae, natum Rudolphi quondam Romanorum Regis ad restituendam ecclesiae Romanae prouinciam Thusciae; quae licet ad* IMPERIVM *fuisset translata, antea ad eandem ecclesiam pertinuerat; super hoc pro bono pacis et patriae cum N. Episcopo Anconitano ad partes illius pro hoc destinato concordandi. Datum Anagniae III. Idus Maii Pontif. sui anno VI.* Nemo facile hac de re dubitabit, cui Bonifacii VIII. ingenium ambitiosissimum non est incognitum. Obtentus autem sine dubio eo fundamento nitebatur, quod ciuitates Tusciae olim Innocentii III. auspiciis in foedus coeundo eius sub clientela egere aliquandiu. Ad Saxoniae Ducem vero propterea litteras dedisse videtur, quia iis in partibus Germaniae inferioris vicarius Rex erat. Nec enim Albertum Pontifex pro Rege habuit, nec haberi voluit: quin potius ad suum eum tribunal citauit, ceu litterae ostendunt a Reynaldo in medium allatae, vt et Henrici Rebdorfiensis Monachi Annales. Ludouicus Antonius Muratorius vero e Chronico MS. quod est in Bibliotheca Atestina, ac circa annum 1330.

esse videtur collectum, obseruat, superbum hunc Pontificem Caesaris Alberti legatos non solum repudiasse, repudiatosque in Germaniam remisisse; verum etiam non sine contemptu sequentia iisdem insinuasse: *Ego sum Caesar, ego sum Papa.* Scio equidem, laborasse Rubeum Bonifacianae vitae scriptorem, vt ne haec verba tribuerentur amplius Heroi suo, quem perdite amat ac defendit: sed probe intelligitur e litteris ad Philippum Pulchrum scriptis, eum Reges fastu intolerabili sibi ac sedi suae iudicasse subiiciendos. Deinde in vulgus notum est, eundem Praesulem Philippi Galliae Regis fratrem Carolum Valesium in Italiam arcessiuisse, tum vt Tuscorum rector esset, tum vt Florentinos inprimis variis factionibus et discordiis agitatos ad concordiam redigeret. Fatetur Bonifacius in litteris apud Raynaldum ad Portuensem Episcopum transmissis, TVSCIAM *pertinere ad* IMPERIVM: quod et in epistola ad Saxoniae Ducem neutiquam ausus est negare: vtut falso adseuerauerat, Pontifices olim Tusciae Dominos fuisse. In hac igitur imperii parte Carolus Valesius a Bonifacio imperii vacantis Vicarius constitutus est, vetante insimul, ne quis Albertum Austriacum pro legitimo Rege habendum censeret. Credibile quoque foret, dictis in litteris pro *munere paciariatus* legendum esse *Vicariatus*. Quid enim est *paciariatus*? Sed obstat Ptolomaei Lucensis auctoritas, qui similiter Carolum Valesium PACIARIVM appellat in annalibus suis; nec latet Carolum I. vtriusque Siciliae Regem a Clemente IV. primum sic esse nominatum. Quod certe nihil detrahet imperii iuribus; inprimis, cum non diffiteatur Bonifacius, se *vacante imperio eum interea* PACIARIVM constituisse. In effectu PACIARIVS imperii ac VICARIVS vix differunt: cum pacis conseruatio proprium et primarium vicariorum imperii munus sit: quod pluribus posset argumentis muni-

ri.

ri. Istud vero admodum illepidum est, quando aliqui propterea negant, Bonifacium imperii nomine Carolum ad hoc munus euexisse, quia nec *Platina*, nec *Scipio Ammiratus* ea de re aliquid memoriae proderent: quasi vero novi hi homines obloqui cum auctoritate ipsius Bonifacii litteris possent. Vnde non minus putidum videtur, quod libertatis Florentinae *immodici defensores* statuunt: totam videlicet illam Caroli Valesii procurationem Tusciam imperio subiectam spectasse, non autem Florentinos attigisse, vt qui propriam et liberrimam iam Rempublicam habuissent. Est enim exploratissimum, Carolum Valesium ad Florentinos missum ante omnia, vt dissidentes inter se ciues componeret. Saltem hoc Ptolomaeus diserte scribit; nec Iohannes Villani nostrae opinioni repugnat. Quin immo adfirmare vix erubesco, ipsum Bonifacium VIII. non alio obtentu Cardinalem Matthaeum Aquispartanum Florentiam ablegasse, quam quod esse se iactaret, vacante imperio, Caesarem Vicarium. Cuius iussibus cum primum contrairent Florentiae ciues, diris sane sunt deuoti; accitusque est Carolus Valesius, qui Florentiam armatus hac auctoritate intrauit: quanquam postea ex regulis prudentiae militibus suis arma detraheret, ne plebs opificiaria, ne lanifici, ac textores, ne denique vltima faex populi turbas darent. Sed fatetur Gabriel Daniel, mediocriter ei rem succesisse. Ptolomaeus Lucensis vero disertius: *Eodem anno nempe 1301. dictus Dominus* CAROLVS *venit* FLORENTIAM, *et facta est ibidem magna commotio, et spoliorum direptio et domorum combustio in ciuitate et in* COMITATV, *qualis non fuit a tempore, quo Guelfi et Gibellini Florentiae fuerunt.* Vnde factum coniicio, quod Florentiam relinquens in Siciliam transfretauerit Friderico Siciliae Regi bellum illaturus: cum Florentini inter haec vicinas ciuitates armis lacesserent, ac Bonifa-

cius Alberto Austriaco conciliatus cum Gallorum Rege Philippo inimicitias capitales contraheret.

§. LIV.

Dignum obseruatu est, hoc tempore tandem Alighe-rum magni spiritus Poetam ceu Gibellinum Florentia esse expulsum, qui dein, Alberto parricidali Ioannis Austriaci Rudolphi Habspurgici nepotis ferro sublato, ad Henricum VI. Lucenburgicum sese contulit, ad coercendos ciues suos magnopere eum inflammaturus. Quod antequam memoremus, obseruandum certe, Pontificem Romanum non solum electionem huius Principis approbasse; verum etiam Italiae ciuitates ac proceres commonefeciſſe, vt Regi nouo Romam eunti omni obsequio et humanitate praesto essent. Etiam nunc eam in rem leguntur Clementis V. litterae, extatque illius ad Florentinos atque loci Episcopum cohortatio, quam non dissimulauit saepe excitatus Raynaldus ad a. 1310. Quin constat ex Albertino Mussato Libr. I. cap. 7. *in rescriptis esse Arnaldo Cardinali datum, cui Pellagrue cognomen erat, apud Bononiam tunc Apostolicae sedis legato, qui et Ferrariam expugnatis Venetis in Ecclesiae ditionem redegerat, vt obuiam Regi pergeret et commeatum praeberet in omnes vias et actus.* Sed addit Mussatus, eum diuerso itinere Auenionem, vbi Clemens residebat, iuisse, Caesari haud dubie infensus. Immo lego apud Ioannem Villanium, eum hoc anno die XXII. Augusti Florentiam intrasse, animaturus haud dubie Welphos, quibus Gibellinorum elatae voces esse incipiebant suspectae. Ac quamuis Romam concesserit, mense tamen Septembri inde redux rursum est Florentiae inuentus, rata habens, Pontificis nomine, quae hic cum Roberto Siciliae Rege Caroli II. filio de administratione Romaniolae et Comitatus Britonorii paullo ante pepigerat. Produxit hanc in rem e libro censuum *Arnoldi Camerarii* Stephanus Balu-

Baluzius in *notis ad vitas Paparum Auenionensium* sequentia: *ratificauit supradicta (Robertus) et ita iurauit in praesentia Domini A.* (Arnaldi) *tituli S. Mariae in porticu Diaconi Cardinalis sedis Apostolicae legati. Datum Florentiae a. D. MCCCX. die VII. Octobris.*

§. LV.

Ex quo pellucet, eadem tempestate iam Tuscos cum Roberto collusisse, qui commodum illis adueniret, si Henricus VII. repetere imperii iura contenderet; quo posthac eueniente, Regeque Mediolani adhuc subsistente, illico auditum est, Tuscos apparare bellum. Pertinet eo, quod Ptolomaeus Lucensis in vita Clementis V. p. 40. memorat: *Eodem tempore et anno pars* TVSCIAE *Guelfa magnum apparatum facit, videlicet* FLORENTINI, LVCANI, *et* SENENSES *cum ipsorum* COMITIVA, *et cum eis etiam Perusini, ad obuiandum Regi Romanorum pro corona imperii, ne videlicet per terras eorum transeat, aggenerata eis suspicione propter fauorem, quem videbatur dare Gibellinis et Albis, dans eis dominia ciuitatum, et non Guelfis, faciensque eos magis sibi familiares et consiliarios.* Cumque longius procederet Lucenburgicus et Pisas a. MCCXI. intraret, idem Ptolomaeus subiicit: *sola tamen pars Guelpha* TVSCIAE *apparatum facit contra ipsum apud Sarzanam militiam mittunt, passus claudunt, vt per terram transire non possit.* Vix habeo ambiguum, Florentinos cum plerisque Tuscis haud parum fiduciae in opibus Roberti Regis Siculi posuisse. Vnde vix mirandum, Henricum Regem Teutoniae noluisse filio Roberti Regis despondere natam suam, nisi e Tuscia recederet Siculus miles, Florentinos obstinatiores reddens. Inueniuntur haec in relatione Itineris Henrici VII. Imperatoris p. 1180. quam Nicolaus Praesul Botrontinensis ad Clementem V. Papam misit, a doctissimo edita Baluzio inter vitas et acta Paparum Aeuenionensium Tom. II. §. LVI.

## §. LVI.

Haud temere Episcopi Botrontinensis auctoritate vtor. Fuit enim hic non solum in comitatu Imperatoris, ita vt, quae viderat et audiuerat, litteris consignaret; verum etiam perquam singularia de Florentinis eorumque obstinatione obseruauit, quae scopo conueniunt nostro. Caesare namque in Florentinum agrum armata manu irrumpente, Robertoque Rege proscripto, Florentiae ciuibus metus obrepsit tandem coeperuntque illi ad mitiora animum consilia appellere, perque oratores agere, ac promittere omnia; prorsus vt Nicolaus existimaret noster, facta, transacta esse fere vniuersa. Verum tamen fefellit ipsum spes exclamatque propterea: *Adhuc non cognoscebam* TVSCOS *iis diebus.* Post haec satis copiose narrat p. 1216. quomodo *maiores de Florentia* renouare coeptos tractatus, interuentu Richardi Hugueti astutissimi hominis, sategerint, confessarium Regis adorti, ut febricitanti et aegro mitiora persuaderet, quamuis hic parum profecisset. Causam addit Botrontinensis Praesul: *Omnia quae volebat totum consilium habere, quae possibilia erant et honesta eorum iudicio, a* TVSCIS *rebellibus concedebantur, hoc excepto, quod in terras non intraret in ista nouitate, sed bene vicarium mitteret vnum singularem, quem petebant, de quo Domino Imperatori plus placebat, quam de alio vicario. Sed nullo modo voluit consentire, nisi intraret, si vellet, dicens, quod gratiam et misericordiam haberemus ab eo pro ipsis, quantum vellemus, saluo tamen honore suo, qui nullo modo esset in tali pacto, quod necessitatus esset, non posse intrare, si vellet, in* SVIS CIVITATIBVS, *nec ipse iudicabat, quod sui rebelles quaererent aliud nisi suum recessum ad tempus, postea de facili impedirent eum, ne intraret, quia introitus per istas partes sine mari in Tuscia satis sunt graues, et per*

*mare*

*mare non semper homo vadit, quando vult, et magnam multitudinem simul per mare transire sumptuosum est multum.* In reliquis, quae bona fide auctor hic probatissimus recenset, id maxime ad rem facit, quod sequitur : fuisse multos, qui Imperatori cuperent obedire ; sed plures quoque impediuisse interea saniorum consilia, ne ad effectum perducerentur: *fingentes*, inquit, *multas litteras, quas falsas ipse Dominus* (Henricus) *reputabat, missas eis de ista curia vestra, sed non de vestro consensu, dicebat, quomodo viriliter se tenerent, quia per vestram sanctitatem cito confortare eos procurarent. Isti mendaces, qui sic populum inducebant, vt pacem nollent, pro confirmatione praedictorum Dominum Episcopum Florentinum in exemplum ponebant ; qui de concilio reuersus, et intentionem vestram sciens, erat de primis armatus cum suis clericis, et plus confortabat eos publice in sermonibus, quod nullo modo ipsi, qui erant liberi, ponerent se in seruitutem et cogitarent diligenter quid de ipsis facerent inimici eorum. Dum intrarent Florentiam ipsis potentiores, ratione Theotonicorum, qui eos semper contra suos vicinos iuuarent. Haec et plura alia de* FLORENTIA *diuersis in exercitu scribebantur, quae nunquam credidit, sed falsa semper dixit, et quod talia inueniebantur ad inducendum populum, vt facilius pecuniam solueret ; qui iam erat sic illis diebus grauatus, quod pro defectu solutionis plures domus et magnae continue destruebantur. Et istud sentio ego in conscientia mea. Et hoc mouet me. Cum semel vnum fratrem Minorem de Florentia natum misi ad Episcopum Florentinum, et omnia praedicta secrete sub litteris credentiae, mandaui sibi quod talia de eo dicebantur, et quod ipse talia generaliter et publice dicendo curiam Romanorum totam diffamabat, vos autem merito contra eum turbari deberetis, qui eis et omnibus aliis ciuitatibus vestras litteras miseratis, quod* OBEDIRENT, *et quod sanctitati vestrae ego*

*praedicta significaueram, tunc per dictum fratrem Minorem mihi mandauit quod nunquam a vobis nec ab aliquo Cardinali aliquid de huiusmodi materia haberet in mandatis, nec pro, nec contra in dicto Concilio fuerat ab aliquo attentatum, multa erant alia, circa quae erat occupatus sine istis. Subiunxit postea, quod ipse erat Guelphus et de Guelphis natus, et per eos promotus. Vnde si eos diligebat, non debebam admirari; quia sciebat quod si Guebelini reuerterentur et possent, quod ipsum et domum suam destruerent. Praedicta ergo retuli Domino; qui libentur audiuit et voluit, quod ista publicarentur, ne talibus mendaciis crederent.*

## §. LVII.

Ex hisce vero palam fit, quam subdole iudicio Nicolai Botrontinensis Episcopi sese gesserint rebelles Florentini, quam fuerint iniqui in Regem, et ipsum Pontificem, qui si credendum relationi arcanae, vti omnino tribuenda fides est, Florentinae ciuitatis obstinationem neutiquam probauerat, in hoc solum cogitatione intentus idque legato suo in mandatis dans, ne Romanae ecclesiae patrimonium, aut Neapolitanum regnum inuaderet Henricus beneficario nexu Pontificibus deinctum. Quare vix ambigam, in ruborem iri datum defensores imaginariae libertatis Florentinae, si haec cum cura perlegerent, nec praesumtis opinionibus occoecati summa semper miscere imis conarentur, persuasi illiberaliter, ius libertatis penes eos fuisse, qui Diis hominibusque inuitis, vi, armis, fraudibus eam affectantes contra ius et fas legitimo aduersari Domino nunquam desinebant. Cuius auctoris sincera recensio tanto minus esse debet suspecta, quanto certius est, totam narrationem illum verbis hisce concluisse: *Pater sancte, testimonio conscientiae meae alia ad praesens nescio relatione digna, nisi quod per salutem animae meae vobis dico, quod non credo, quod aliquis viuat hodie*

*inter*

*inter* PRINCIPES *seculares, qui plus Deum diligat et Ecclesiam Romanam et omnem probum virum, quam* IPSE Henricus *faciebat.* Aliis auctoritatibus vt vtar proque causae Imperatoriae iustitia copiosius perorem, Mussatum, Albertum Argentinensem, Rebdorfiensem aliosque excitando, necesse nec habeo, nec arbitror.

## §. LVIII.

Et ita vero bene intelligitur, quare post Henricum Lucelburgicum immatura morte abreptum et Ludouicum Boium in regni solium euectum totius Welphicae factionis globus in Florentinorum potentia atque auxilio spem collocauerit. Cui enim ignotum est, Pontificem Ioannem XXII. vicarium sese in Italia et imperio Romano tulisse, ac Robertum Siculum denuo Senatorem vrbis Romanae ac Tusciae appellasse, qui Welphos auctoritate et opibus suis subleuaret, et Ludouico, quem Papa sine suo consensu Imperatorem nolebat, omni contentione resisteret. Saltem extra dubium ponendum, Robertum Carolum filium Calabriae Ducem illico Florentiam misisse, qui vrbi praeesset veluti POTESTAS, ac totam ciuitatem in rebellione contra imperium firmaret. Colligi talia e Ioanne Villanio possunt, ac Chronico Siculo, quod Edmundus Marteneus non ita pridem vulgauit. Verum tamen tanta in Italia Gibellinorum multitudo inueniebatur, vt non solum Mediolanum portas aperiret, sed et Lucenses sub Castrucio Interminelli, quem Ducem creauerat Rex, eidem sese magnis copiis aggregarent, Pisis demum in potestatem Caesaris redactis, eoque Romam citatis passibus contendente, cuius populus ac proceres permulti anxie eum praestolabantur, pertaesi admodum, Pontifices Auenionem sedem transtulisse suam eoque pacto Romam Petri domicilium relinquentes diuitiis, quibus olim abundabat, sic breui nudandam. Neque tum, quod monendum,

Florentini cum Carolo Calabriae Duce aliisque Welphis impedire Ludouici Boii conatus poterant: vtut futurum Pontifex sperabat.

## §. LIX.

Quanquam vero Rex inconstantia Italorum ac Ioannis XXII. fulminibus et insidiis valide agitatus linquere Italiam cogebatur, Welphis potentiam ac vires maiores vndique acquirentibus; nondum tamen Italiae ita obliti erant Germaniae proceres, Gibellinos vt iudicarent plane deserendos. Potius apud Ioannem Villanium Lib. X. cap. 170. legimus, ipsum Ioannem Bohemiae Regem tanquam Vicarium imperii has in terras, Langobardiam puta atque Tusciam a. 1330. e valle Tridentina descendisse. Indubium habeo, Caroli Calabriae Ducis obitum, quo tum Robertus Pater, tum Guelphorum partes valde sunt afflictae, caussam itineri huic dedisse, vt sic rursum Gibellini caput adtollerent, resque imperii cum emolumento promoueretur. Saltem Villanius non diffitetur, misisse Bohemiae Regem octingentos equites Lucensibus auxilio; cum is interea Parmae maneret et Azoni Mediolanensium Vicecomiti hanc vrbem tutandam committeret. Patet hoc partim ex Villanio, partim *vita Caroli IV. a se ipso scripta*, quam in rerum Bohemicarum scriptoribus exhibet Marquardus Freherus. Quin legimus a patre demum accitum e Belgio filium Carolum, Morauiae Marchionem, qui Italiae ciuitates et praefectos suo imperio audientes in officio contineret; cumque secus res cecidissent inque summas angustias ciuitates ad omnem ventum motumue mutabiles eum coniecissent, Pater Ioannes denuo iter in Italiam cum exercitu relegebat, Lucenses liberaturus a Florentinorum assultibus. Et erant vero Italorum animi admodum suspensi, cuius consilio intrasset Ioannes cum filio Carolo Italiam: Bohemis Papae voluntatem et consensionem

nem iactantibus, hoc aperte diffitente ac negante: donec demum Pontifex, Francorum Regis studio, fauendum quadantenus Ioanni Bohemiae Regi statueret. Inde factum, vt, quemadmodum ipse Carolus ἀυτόπτης scribit, *Ioannes Pater cum Legato Pontificis, qui Bononiae agebat*, foedus iceret, formidandum Welphis eoque multa suspicione vndique adspersum. Eo pertinent Villanii verba Libr. X. cap. 180. *Nel detto anno adi XVI. d' Aprile fue fatto vno parlamento stretto in sul fiume de la Scotenna tra Bologna, et Modona, intra il Re Giouanni di Buëme figliuolo che fu dello Imperatore Arrigho, et il leghato di Lombardia Cardinale che dimo raua per la chiesa in Bologna, et furono in accordo insieme, et al dipartire si bacciarono in bocca, et poi il di sequente con grande festa mangiarono insieme al castello di Piumaccio per laqualcosa tutti i signori, et tiranni di Lombardia, et anchora il comune* DI FIRENZE, *ilquale si tenea nimico del detto Re Giouanni, per la nimista antica d' Arrigho Imperatore suo padre, et per la sua impresa di Lucca, et di Brescia, presono grande sospetto, et isdegno contra al Cardinale leghato, parendo loro che dissimulatamente elli ella chiesa hauessono fatto venire il detto Re Giouanni in Italia, et con la forza del detto Re, et per trattato del Papa Giouanni, et del Re di Francia elloro fauore volesse occupare la signoria di Lombardia, et di Toscana, onde à riparare cio si tratto di fare compagnia, et legha et giura il Re Ruberto insieme contro al detto Re Giouanni, et contro a chiunque li desse adiuto o fauore, et della detta legha il Papa dissimulando co Fiorentini per sue lettere che mando loro si mostro contento, onde poi segui l' abassamento del detto Re, et del leghato come inanzi faremo mentione.* Carolus vero diserte fatetur, defeciſſe tandem Patrem Ioannem pecunia, ac in Germaniam iterum redeundum decreuiſſe, poſtquam *Parmam illis de Rubeis, Regium illis de Fuliano, Mutinam illis de Piſis, Cremonam*

*monam illis de Puntzonibus, qui omnes has ciuitates patri suo in potestatem dedere, voluisseque eisdem eas reddere, Lucam autem voluisse vendere* FLORENTINIS *: sed fretum Caroli ac suorum consiliariorum consilio, commisisse eandem illis de Rubeis, quibus Parmam commiserat.*

§. LX.

Ceterum silentio praeteriri vix debet, nec Welphos, nec Gibellinos ipsos optasse, vt vel Ludouicus Boius reconciliaretur Pontifici, vel etiam eius in locum nouus Rex legeretur: probe intelligentes, fore eo pacto, vt Imperatoris maiestas in Italia iterum vtriusque partis damno sit inualitura, si vel ipse aduentaret in hoc regnum, vel Ioannem Bohemum, vel Carolum eius filium cum auctoritate Regem vicarium mitteret. Colligitur hoc e V. a Baluzio edita Iohannis XXII, vita, quam is ex appendice Ptolomaei Lucensis descripsit: *Eodem anno circa quadragesimum incepit tractare cum septem Cardinalibus ex procuratione Regis Bohemiae, quod Ludouicus, qui se Imperatorem intitulabat, deberet cedere, et quidam Henricus Dux Bauariae consanguineus praedicti Ludouici deberet eligi in Regem et promoueretur ad imperium. Quod tamen fuit contra Regem Robertum, qui ex hoc coepit Papae indignari: cui Rex Hungariae fauit cum Gibellinis tyrannis, qui iura imperii vsurparant, et cum Guelphis, maxime* FLORENTINIS, *qui super hoc impediendo suos ambassiatores vna cum ambassiatoribus Regis Roberti et Regis Hungariae ad Papam Iohannem direxerant, ne ipse creationi noui* IMPERATORIS *consentiret. Rex autem Francorum, vna cum Iohanne Rege Bohemiae laborabant, vt eligeretur Henricus Dux Bauariae in Imperatorem promouendus.*

§. LXI.

Nemo non animaduertit, adfirmare hunc auctorem et Welphos et Gibellinos IVRA IMPERII vsurpasse. Henricus

ricus autem Boius gener Bohemiae Regis erat, filiam eius Margaretham in matrimonio habens: vnde iterum callida Ioannis consilia elucent, Boiis hac ratione imperatorium decus seruaturi simulatque propriis vtilitatibus consulturi, cum ex valle Tridentina ad Italiam facilem sibi accessum fore obseruaret, quam Ioannes, filius alter, Margarethae Maultaschiae connubio iunctus tenebat: vtut tandem spes decollabat omnis, postquam Margaretha ab hoc Ioanne, ceu homine ad prolem suscitandam inepto, diuerteret, ac Ludouicus Caesar illam nuptiis Ludouici Marchionis Brandenburgici filii primum geniti destinaret: Carolo interea bis in Italiam haud magno profectu eunte.

§. LXII.

Etsi vero paullo post Ludouicus Boius Principem hunc imperii aemulum accipiebat, isque e vita tandem discedebat, Pontifice Clemente VI. Caroli electionem firmante, hocque Guntherum Schwartzenburgicum ab electoribus dissentientibus sibi oppositum veneno de medio tollente; non poterant tamen feroces Florentinorum animi penitus flecti, donec ipse Carolus ad iter Romanum accinctus in Etruria versaretur, ac Pisani eum omni honore exciperent, Lucenses venerarentur, Senenses se subiicerent, Aretini obedirent. Tum enim et Florentini in se conuersi serio demum deliberabant, quid facto opus esset. Ac fatetur ipse BLONDVS, non potuisse tum Florentinos ab obsequio imperii sese auellere, aut Caesari petita negare, si maiori constantia rem fuisset aggressus. In hoc enim is cum maxime ab aui Henrici laudatissimo proposito recessit, quod inter alia Florentinis promisit, se neque introiturum in vrbem, neque mansurum vllo in tractus Florentini loco munito: contentumque se fore, si pro tollenda lite ac debitis imperio centum florenorum aureorum millia quadrima die; annuatim-

que

que itidem pro ſummi imperii recognitione quatuor aureorum millia ſibi ſemper Martio menſe repraeſentarentur. Idque auctores Tuſci ipſimet fatentur, vnde primaria eius tractatus capita excerpemus, qui Piſis eſt confectus (*) XXI. Martii a MCCCLV.

*Che egli caſſaſſe, et annullaſſe tutte le ſentenze, e condannagioni per auanti fatte, ò promulgate contro il Commune di Firenze, ſuo Contado, e ſuoi adherenti, da gl' Anteceſſori Imperatori, e Rè de' Romani*

*Che il commune di Firenze, ſuo contado, e diſtretto ſi reggeſſe conforme a gli ſtatuti, con facoltà di poterne compilare degl' altri,* NON CONTRARII *pero alle leggi Imperiali, e s' intend eſſero ſempre* APPROVATI *da S. M. C.*

*Che i Priori delle Arti, et il Gonfalonieri, che ſono, e che per i tempi ſaranno, douеſſero eſſere perpetui ſuoi* VICARII IMPERIALI. *Che S. M. ſi contentaſſe per* GRAZIA *ſpeciali di non entrare in Firenze, ne meno in Terra alcuna murata del ſuo diſtretto dall' altro canto douеſſero i Sindachi della Republica Fiorentina a nome d' eſſa far la debita Sommiſſione, e rendere* OBBEDIENZA *alla M. S. e riconoſcerla per vero Imperatore*

*Che per tutto quello, che il Commune di Firenze in qualſi voglia modo foſſe obligato, e per qualunque cauſa da gl' andati tempi fino al preſente, non ſolo a lui, ma a tutti i ſuoi Anteceſſori Imperatori, reſtaſſe libero, promettendo di pagargli per tutto Agoſto proſſimo auuenire in quattro paghe i già detti centomila fiorini d' oro.*

*Che ogn' anno del Meſe di Marzo, di più ſe gli pagaſſero, duran-*

(*) Non eſt fidendum Scipioni Ammirato tabularum tenorem referenti. Inſeruit ille cauſſae, quoad poteſt, ciuium ſuorum. Vnde potius Troncii ſtilum atque excerpta ſum ſectatus, vt qui ipſemet litteras Caroli IV. legit.

*rante ſua vita, in recognizione di cenſo quattro mila fiorini d' oro, ſenza che S. M. poteſſe mai pretendere altro per qual ſi voglia cauſa, e ragione dal detto Commune di Firenze, ſuo contado, e diſtretto.*

De qua auri ſumma cum Franciſco Petrarchae aliquid innotuiſſet, ad Nerium Morandum Foroliuienſem, Imperatori tunc ab epiſtolis, ſic iocatur: *Quod vero de patria mea ſcribis, laete admodum audiui, nihilque miror, quod de auri poteſtate facetiſſime cauillatus es, auro enim omnia obediunt.* Cumulatque eo in loco Petrarcha, quae vnquam auri viribus fieri contigit. Simili ratione ex Leonardi Aretini *hiſtoriae Florentinae* lib. VIII. p. 165. colligitur, pecunias principio anni 1355. Senas eſſe miſſas; *quibus*, inquit, *contra ſpem ac vota inimicorum praecipua beneuolentia in ſinum eius irrepſere, vt nemini vni populo per Italiam magis fidere videretur. Non enim antiqua partium leuitate;* ſed PRAESENTI COMMODO *res exiſtimabat. - - Quod ſi inimicitia, vt auus quondam eius, certare voluiſſet, permagnae difficultates ei erant ſubeundae. -- Mox repetitis Senis*, cum in ea vrbe paucos dies reſediſſet, *Florentinis ſociiſque cuncta indulſit, quae ad* AMPLITVDINEM HONOREMQVE EORVM *pertinere videbantur, abſque vllo partium reſpectu. -- Ex Senis* PISAS, *inde per Ligures tranſmiſſo Apennino in Galliam trans Alpes abiuit.* Rectius egiſſet ARETINVS, ſi hoc loco integras tabulas dediſſet, vnde, quae fuerit amplitudo honorque ciuibus ſuis conceſſus, pateret amplius. Piſanus etenim tractatus vtramque hac in cauſſa paginam facit; ſed ex quo ſimul certiſſime cogitur, eos, qui *annuum cenſum* ſoluere obſtringuntur, in plena libertate viuere neutiquam potuiſſe.

## §. LXIII.

Quod vtcunque ſit, conſtat tamen, Florentiam ſic demum agnouiſſe ſummum Germanicorum Regum imperium,

rium, atque iisdem, quibus Pisana ciuitas, priuilegiis esse ornatam. In quibus hoc est cum primis, quod priores artium vexilliferi Florentiae debeant considerari tanquam VICARII IMPERATORIS PERPETVI, prorsus atque Carolus id indulsit Pisanae ciuitatis primoribus Magistratibus. Inde vero aliud nihil consequitur, quam vt talem sint indepti libertatem, qualem habent imperii Germanici ciuitates, quarum Consulibus, Duumuiris et Senatoribus perpetuum est commissum regimen, saluo semper Imperatoris et imperii iure: vtut non habent aduocatum Caesaris, quem in Italia *Vicarium* certoque respectu *Capitaneum* appellitauere. Quod autem a solenni introitu in ciuitatem abstinuerit, id merae indulgentiae Imperatoris ipsimet in transactionis tabulis tribuunt. Eadem haud dubie repetita sunt, quum Vrbanus V. Carolum denuo vocaret, vt in Italiam venienti occurreret atque ecclesiae imperiique hostes coerceret. Ac docent *epistolae* Vrbani V. *secretae* quas Raynaldus legit, monuisse eum Florentinos, qui more suo pacta violantes plura aduersus imperii dignitatem patrauerant, ne obstinatos sese praeberent, futurum se pacis interpretem; siquidem oratores mitterent illataque iniurias constanti obedientia sarcirent. Nec inficiatur saepe laudatus Blondus, *nonnihil eum pecuniarum extorsisse a populo Florentino rebelliones timente, in quas subiecti eis de Etruria populi procliues erant, si modo* PRINCEPS *praestitisset adsensum.* Huldericus Mutius sine CRVORE transacta vniuersa memorat. Auctor vero vitae Vrbani V. quam edidit doctus Bosquetus, quamque emendauit Baluzius, signanter adiicit: *Imperatorem Guidonem de Bolonia Episcopum Portuensem Cardinalem discedendo de Italia suum Vicarium constituisse, qui dein in Luca suam mansionem ordinasset.* De quo qui dubitat, is litteras Karoli datas apud Lucam a. 1369. XII. Kal. Aprilis inspiciat in Tomo II.

Bulla-

Bullarii Cassinensis, vbi legitur: *Testes huius rei sunt Reuerendissimus in Christo Pater Dominus* GVIDO *Portuensis Episcopus sanctae Romanae ecclesiae cardinalis pro* MAIESTATE NOSTRA CAESAREA *in partibus* ITALIAE *locum tenens et generalis* VICARIVS: vt taceam, Carolum Academiae Florentinae, quae iam a. MCC. est instituta, varia iura priuilegiaria indulsisse, diploma referente Italiae sacrae nobilissimo scriptore *Ferdinando Vghello.*

§. LXIV.

Quibus ita constitutis nondum tamen acquieuere ciues Florentini seditionis spiritu semper agitati, causati inter alia: Romanum praesulem Gregorium XI. inhiare Tusciae, ac clanculum cum Carolo, cui paullo ante, interuentu Papae Vrbani V. conciliati sunt, tractasse, vt sibi Lucana ciuitas aliaque imperii loca cederentur, ad LIBERTATEM propterea conclamantes, vexillaque expandentes, quibus litteris cubitalibus aureis vnicum verbum nempe LIBERTAS erat inscriptum, nunciis, qui singuli ducebant cohortes, quaqua versum per terras ecclesiae atque Etruriae huiusmodi vela gestantibus, vnde vndique tumultus, flammae, bella sub LIBERTATIS praesidio sunt coorta. Qui motus, vt tanto certius intelligantur, simulatque ingenia Florentinorum turbulentissima patefiant, faciam, vt nonnulla e Gregorii XI. vita hic legantur: *Eodem*, inquit Biographus, *tempore communitas* FLORENTINA *contra dictum Gregorium Papam et Romanam Ecclesiam insurrexit, doloseque et* MALITIOSE *operata est, quod fere omnes ciuitates et loca alia, quae ad dictam Ecclesiam in Italia pertinebant, ei se confoederauerunt et colligauerunt. in unumque conuenerunt, vt a modo excusso a se quocunque alio superiore, vel domino, in sua* LIBERTATE *viuerent et permanerent: factoque* VEXILLO, *in quo solum magnis litteris erat descripta LIBERTAS, ordinauerunt*

*magnam gentem armigeram, quae cum vexillo huiusmodi dictae ligae adhaerere volentes confoueret, resistentes vero vi et potentia ad eam sectandam comprimeret et arctaret. Sicque factum est, quod quasi vno contextu siue impetu omnes ciuitates locaque et castra dictae Romanae Ecclesiae aduersus eam spiritum rebellionis assumpserunt, officialibus ipsius aut interfectis, aut turpiter electis, rochae castraque et munitiones, quae in ipsis erant, aut ad terram funditus prostrata sunt, aut per alios tyrannice occupata. His autem dedit initium ciuitas* BONONIENSIS, *cuius incolae praefatum Dominum Guillelmum Noeletti sancti Angeli Diaconum Cardinalem Vicarium generalem ibidem commorantem primo captiuarunt, demum bonis suis spoliatum admodum ignominiose abinde exire coëgerunt. Et idem fere per omnia paulo post fecerunt ciues Perusini de Domino Geraldo de Podio, qui etiam Vicarius ibidem permanens paulo ante fuerat factus Presbyter Cardinalis.* Contra hosce hostes Romanae sedis ipse demum Gregorius Caroli IV. auxilium a. 1376. implorauit, vtque proscriberet Florentinos *viscerose*, vt loquitur, seu onixissime petiit: appellitans eosdem, intuitu Caroli, PROPRII IMPERII SVBDITOS, *viros ceteroquin pestilentes, sceleratos, haereticos, sodomitas, vsurarios.* Edidit hasce Gregorii litteras Stephanus Baluzius e bibliotheca Colbertina *in collect. actorum veterum* ad vitas Paparum Auenionensium Tom. II. n. 184.

## §. LXV.

Nostrum iam non est, differere, quo pacto demum pax inter Gregorium XI. et Florentinam rempublicam coaluerit: potius animaduertimus, mortuo Gregorio schisma in ecclesia esse ortum, his Vrbanum VI. alios Clementem VII. tuentibus; ac Carolum IV. corporis exuuias deponentem Wenceslao filio homini vafro quidem, sed ad regnandum inepto, imperium multis vulneribus saucium reliquisse.

Hic

Hic vero cum Galeatiorum partes in Italia tutandas iudicaret, Florentinorum animos a se aliqua ratione abalienauit, existimantium interea, Wenceslaum id agere, vt tota Etruria in potestatem Ioannis Galeatii redigeretur. Vnde noua foedera circumspicientes ad Carolum VI. Galliae Regem cogitationes suas conuertebant, itemque ad Boiorum Ducem STEPHANVM iuniorem, qui eos a magno periculo copiis suis, quas contra Galeatium mittebat, liberabat, POGGIO et ARETINO non diffitentibus. Atque hic sine dubio Princeps Boius est, cum potentissimo Bauariae Electore eodem sanguine oriundus, cuius merita in Statum Florentinum publicis in nouellis nuper celebrabantur, qui Galeatii magnis ausibus obicem posuit; ne is, stertente Wenceslao imperiique bona dilapidante, totam Langobardiam cum Etruria absorberet: Pigna, Corio, Adelzreitero similia adnotantibus.

§. LXVI.

Ex quo factum, vt, Roberto Palatino sceptris potito exauctoratoque Wenceslao, Florentini iterum ad Germanos irent, inque mediis angustiis constituti centum millia aureorum nummum nouo Imperatori electo illico numerarent, ducentis myriadibus paullo post soluendis eidem. Eo pertinet diploma Roberti ab Edmundo Marteneo Tom. I. *Anecdotorum* productum. Foedus id vocant initum cum Roberto Florentinae libertatis parastatae, sed patet ex alio diplomate, quod Vindobonense tabularium continet, publici iam iuris in dissertatione Lipsiensi factum, ac nobiscum quoque *eadem ex aula* communicatum, resipuisse tandem Florentinos, iura omnia, quae regalia vocant, et vicariatum sibi renouari petentes, ciuium, atque imperio subditorum, fideliumque nomen neutiquam spernentes: vt ne dicam, grato simul animo recoluisse superbos alioquin mercatores, quae sibi praestitisset Henricus S. Boicae Princeps ac Romano-

rum Imperator post Ottonem III. ad imperii clauum sedens. Quae litterae, quum propria Florentinorum confessione quam plurima contineant, vnde eorum subiectio et inuestitura per Syndicum ciuitatis obtenta intelligitur, idcirco necesse reputo, vt melioris probationis et connexionis gratia, integrae hic legantur:

*RVpertus ad perpetuam rei memoriam. Decet Regiam maiestatem qualitatem respicere subditorum, et illos propensioni gratiae munere prosequi, quos deuotionis et fidei constantia et tolerationе laborum viderit plus mereri. Considerantes igitur dilectos filios, populum et communionem Florentiae, super omnes Italiae populos erga S. S. Rom. Imperium, ad cuius apicem Deo dante, sicut ordinati sumus, sic intendimus peruenire, semper se fideliter habuisse, Regibusque Rom. et Imperatoribus legitime constitutis, iusteque prosequentibus coeptae deuotionis officium, et obedientiae debitum praestitisse, nec non et imperii iura singulariter conseruando, suae libertatis thesaurum inaestimabilem, non animi magnitudine solum, sed multo omnium expensarum onere, profusioneque sanguinis defendisse, non videmus cui iustius omnis fauor, cuique conuenientius omnis gratia debeatur. Quam ob rem attendentes omnes illius populi vires et potentiam* ROBVR IMPERII *et fortitudinem* NOSTRAM *esse, terras omnes atque ciuitates, propugnacula, villas, prouincias, et castra, quae per dictum populum et commune tenentur, reguntur et gubernantur, quaeue possidentur, aut cum eis aliquo subiectionis foedere inclusa sunt, aut quae ex contractu, vel quasi contractu quopiam, testamento, codicillis, donatione tam mortis, vel inter viuos, aut aliqua alia vltima voluntate, vel inter viuos titulo, quae omnia tenore praesentium, ex certa scientia confirmamus, et approbamus, ad dictum populum et commune quomodo libet pertinerent, aut peruenissent, siue in quibus populus, et commune praefatum ius, custodiam vel iurisdictionem, aut praeeminentiam habet, et ad praesens dignoscitur obtinere, maximeque ciuitates, prouincias, castra, terras et loca, quae nominatim inferius describentur, eidem populo communique Florentiae regiae maiestatis auctoritate, animo deliberato, et sano principum,*

pro-

*procerum, et baronum noſtrorum accedente* CONSILIO, *et conſenſu, et ex certa ſcientia libere donamus, concedimus, et largimur, cum omnibus eorum iuribus, et pertinentiis, curiis, territoriis, et comitatibus atque diſtrictibus, hac edictali noſtrae benignitatis epiſtola, perpetuoque reſcripto iubentes, declarantes, et decernentes, ea omnia ad eundem populum et commune iure pleniſſimo pertinere, etiamſi feudalia forent, vel aliquo tempore fuiſſe feudalia dicerentur, aut dici poſſunt; non obſtante, quod ad nos vel praedeceſſores noſtros, vel ad diuos auguſtos, vel in fiſcum, aut imperialem, vel auguſtalem menſam, vel cameram eſſent, vel dici poſſent quomodo libet deuoluta, vel etiam ſpecialiter aſſignata, ea omnia de plenitudine poteſtatis, et omni via, ratione vel iure, quo melius, et validius poſſimus, praelibato populo, et communi, iure pleniſſimo concedentes, volumuſque cuncta Regalia tributa, pedagia, gabellas, obuentiones et reditus, flumina, ſyluas, et nemora, piſcationes, paſcua et aucupia, quae de iure ſolent ad fiſcum, menſam, vel cameram regiam, imperialem vel auguſtam quomodo libet pertinere, nec non omnes condemnationes factas, aut faciendas, et quaecunque deuoluta forent, ad regiam, auguſtalem, vel imperatoriam maieſtatem, etiamſi dicerentur, vel eſſent, alicui, vel aliquibus, vel diuis etiam auguſtalibus ſpecialiter aſſignata, nec non auri fodinas, ſiue cuiuscunque metalli mineras, et theſauros omnes, et vniuerſaliter omnia iura fiſcalia, ſiue regalia in dicta ciuitate, et terris ſupra conceſſis vel harum ſerie nominandis, eſſe pleno iure, populi, communiſque praedicti, et ad ipſum pleno iure legitime pertinere, cum omni cenſu, praeſtatione, vel iure, quae per praedictam ciuitatem, et populum, atque terras, ſupra conceſſas, et inferius nominandas, S. Rom. Imperio deberentur, et cum omnibus angariis et parangariis, quae dicto populo, vel commune, quocunque iure poſſunt indici, vel futuris temporibus indicerentur, quae omnia, ſicut dictum eſt, ad populum et commune dictae ciuitatis* NOSTRAE *Florentiae pleniſſime pertinere volumus, et iubemus, in ſubſidium expenſarum, quas pro defenſione ſuae libertatis, et ſtatus, quotidie facere cogitur et ſubire. Confirmamus etiam omnia foedera, ſubmiſſiones, deditiones et pacta, quae dictae ter-*

*rae*

*rae fecissent eidem, vel cum eodem populo, et communi, quorum tenores hic haberi volumus pro nominatis et sufficienter expressis, ita quod in populi Florentini fauorem perpetuo valeant, et plenam obtineant roboris firmitatem; Et quum, vt Vlpianus scripsit, magni faciant prouinciales, suas sibi consuetudines obseruatas, praesentium auctoritate decernimus et iubemus, dictam ciuitatem Florentiae, suumque ciuitatis territorium, et districtum, et dictas supra scriptas, et infra scriptas ciuitates, terras et loca, per officiales, et rectores tam ciues, quam forenses, per eundem populum et commune, et non per alios, quacunque fungerentur auctoritate, deputatos, et electos, vel quomodo libet deputandos regi et gubernari debere, secundum formam statutorum et ordinamentorum dicti populi, et communis nunc vigentium, vel quae imposterum ederentur, quae statuta et ordinamenta, et omnes alias quascunque leges municipales, dicti populi, et communis nunc vigentium, vel quae imposterum ederentur, cum mutationibus, et correctionibus, quas faceret, vel fecisset dictus populus et commune, confirmamus, et approbamus, iubentes eas habere plenissimam roboris firmitatem. Caeterum cum rerum experientia doceat, nobiles viros, priores artium et vexilliferos iustitiae, populi et communis Florentiae, qui nunc sunt, vel in posterum in officio praesidebunt, toto tempore, quo talis eorum durauerit magistratus tam in ciuitate Florentiae, quam in ciuitatibus, prouinciis et locis supra concessis, ac etiam proxime nominandis,* REGIOS ET IMPERIALES VICARIOS *nostros, et imperii S. irreuocabiliter et generales constituimus, facimus et ordinamus, cum administratione plenissima, committentes eisdem plenissime* VICES *nostras toto tempore* VITAE NOSTRAE, *nec non in perpetuum, donec forent expresse per* SVCCESSORES *nostros, legitime tamen intrantes, nominatim et specialiter reuocati, statuentes et ordinantes quod dicti priores, et vexilliferi,* VICARII *nostri, vel aliqui alii rectores, et officiales ad regimen dictae ciuitatis, et locorum eidem tenore praesentium concessorum, cogi non possint, aut debeant, alibi reddere de suae administrationis officio rationem, quam in ciuitate* FLORENTIAE *et coram iudicibus, magistratu, vel Syndicis per eundem*

dem

*dem populum, et commune deputatis ad hoc, vel imposterum deputandis, et non alibi, vel per alios quoquo modo. In quorum omnium signum, firmitatem, et robur nobilem virum Bonacursum, quondam Neri de Pictis, Syndicum dicti populi et communis, vt publice constat manu Petri Serperi de St. Miniate Florent. notarii publici pro ipso communi Florentiae recipiente, et ipsum populum et commune in persona dicti Bonacursi per annuli traditionem, de praedictis omnibus* INVESTIMVS, *auctoritate regia supra dicta et de plenitudine potestatis ex certa scientia, et proprio nostro motu, et omni via, iure nostro, et modo, quibus magis et melius possumus et valemus, nomina vero dictarum ciuitatum, terrarum et prouinciarum, et ipsarum designationes sunt haec: scil. ciuitas Aretii, cum omni suo solito et antiquo comitatu atque districtu, ciuitas Pistorii et ciuitas Vulterra etc. cum omnibus eorum solitis et antiquis comitatibus atque districtibus, prouincia vallis Nebulae, prouincia vallis Arianae, prouincia vallis Arni, inferiore terra Barglie et suae coloniae, cum pertinentiis ipsarum, terra S. Miniati Florent. cum omni antiquo suo comitatu atque districtu et specialiter cum communi et castro Collis longae terrae, prouinciae Florent. in partibus Romandiolae, et omnia quae in dicta prouincia Romandiolae, vel Massae Trebariae fuissent dicto communi Florentiae relicta vel concessa, seu in quibus eis esset ius aliquod constitutum, aut quomodolibet pertineret, omnes terrae, quae tenebantur, vel essent alieni iuris, vel aliquorum de Waldinis . . . . . aut aliquo vel aliquibus de progenieque de Petra mala, quae terrae forent in alpibus montibus, aut vallibus, siue planis prouinciae Tusciae, quarum omnium nomina habeantur pro expressis et declaratis: terrae quoque collis Valliselse St. Cemniani, Martiani, Planiciei Aretii, Coretii, Castellionis Florentini, Montispolitiani, Valiani, Sillani, Tapolis, Montamine, Anglaris, Fogani, et Fucignani, Derezo et omnes terrae et loca, quae fuissent dicto populo, vel communi relictae, submissae, vel aliquo modo concessae, vel alteri pro ipso populo, vel communi recipienti, et seu dicto populo et communi tam in partibus Cisentini, quam in prouincia*

*Romandiolae, Massaeque Trebariae, vel alibi in partibus circumstantibus, vel quae ad ipsum populum et commune forent iure quopiam deuolutae, et generaliter omnia alia et singula, quae per dictum populum seu commune tenentur, seu possidentur, reguntur et gubernantur, et in quibus habent ius aliquod, custodiam iurisdictionem, vel praeeminentiam, quoquo modo mandantes atque iubentes eis, et cuilibet ipsorum et ipsarum et hominibus, personis et incolis eorundem, et ipsarum praedictis nostris vicariis, populoque et communi Florentiae tanquam nobis in omnibus pareant, et intendant sub poenis et conditionibus ordinandis seu ordinatis per ipsum populum et commune Florentiae. Nulli ergo hominum liceat hanc nostrae donationis, concessionis, largitionis ordinationis et gratiae paginam infringere, aut ei quouis ausu temerario contraire sub poena indignationis nostrae grauissimae, quam qui secus attentare praesumserit, se cognoscat illico incursurum, et sub poena mille marcarum auri purissimi, in quas illos, qui quauis temeritate contrafecerint, sine venerint, irremissibiliter incurrere decernimus et iubemus, et eandem ab eis totiens, quotiens contra factum vel contrauentum extiterit, exigi volumus et committi, et medietatem dictarum marcarum nostri Regalis, seu imperialis aerarii siue fisci, et partem residuam iniuriam passorum vsibus applicari decernentes ex nunc de plenitudine Regiae atque Caesareae potestatis irritum et inane, quodcunque in contrarium a quocunque fuerit attentatum, praesentes quoque litteras nostras, siue praesens Priuilegium durare volumus toto tempore vitae nostrae, et ad* BENEPLACITVM IMPERII, *et donec per Successores nostros* LEGITIME *intrantes* EXPRESSE ET SPECIALITER *fuerit reuocatum, Decernimus quoque, committimus et mandamus, quod mox, vt fuerimus Imperiales infulas assecuti, Imperiales nostrae fieri debeant confirmatoriae praedictorum. Et nunc intelligantur data et concessa praedicta, vel in minimo non mutata etiam absque alia aliaqua requisitione, vel . . . . . nobis vel nostro Cancellario facienda. Testes huius rei sunt venerabilis Fridericus Archiepiscopus Colonienſis, Imperii per Italiam Archi-*

*Can-*

*Cancellarius. Illustres Ludouicus Comes Palatinus Rheni et Bauariae Dux, Carolus Dux Lotharingiae. Nobiles Philippus Nassau et Saraponte. Emilius de Leiningen, Regalis nostrae curiae Magister. Gerhardus de Kirberg. Fridericus de Morse. Io. Frid. de Leiningen, Comites spectabiles. Sigehardus de Winsperg. Eberhardus Pincerna de Erpache Senior, Barones. Honorabiles Conradus de Hirtzhorn, St. Stephan. Moguntinensis, Wilhelmus beatorum apostolorum Colonienſium ecclesiarum praepositi, Magister Nicolaus Perwin, sac. paginae professor. Strenui Wipertus de Helmstat Senior, Iohann de Hirtzhorn, Iohannes Camerarius de Talburg, Schilling de Fillig, Henricus de Dadenberg. Sifridus de Lapide, milites, nec non quam plures alii nostri et Imperii nobiles et fideles, Harum sub Regiae nostrae Majestatis sigilli appensione testimonio litterarum, datum Moguntiae die quarta Mensis Iulii Anno Domini MCCCC. primo, regni vero nostri anno primo, Ego Rabanus Episcopus Spirensis, regalis aulae Cancellarius, vice Reuerendissimi in Christo Patris Domini Ioannis Archiepiscopi Moguntini per Germaniam Archicancellarii recognoui.*

## §. LXVII.

Enim vero Ruperto in patriam, re infeliciter gesta, abeunte ac Sigismundo Hungariae Rege in locum demum eius electo alibi agente, postque Pisas expugnatas ferocia in praecordia ciuium redeunte, iterum contigit, vt et imperii et Sigismundi paullatim obliuiscerentur. Vnde causam ducas, quare Sigismundo Romam properanti nullum honoris signum exhibuerint, sed potius Hungaros, Bohemos, Teutonicosque repulerint in Micheletum Florentini exercitus ductorem irruentes: vtut postea Imperatoris iras timentes varias excusationes ac defensiones protulere verbis suam obedientiam testati, vti mos erat hisce hominibus ob immanes diuitias turgescentibus, obque contractum cum Mediolanensium Ducibus foedus suspicionem ignesque in Teutones concipientibus. Ac suspicor, Sigismundum non fuis-

se rediturum domum, nisi portas aperuisset Etruriae potens ciuitas; modo ne satius existimasset, tutari, Eugenii IV. partes, quem dignitate sacra deiicere Basileenses patres meditabantur. Perspicue enim Leonardus Aretinus fatetur, Roma discedentem Imperatorem Florentiam intrare tentasse, sed POPVLO PROHIBENTE aliam itineris viam elegisse. Credibile est, Florentinos Caroli IV. indulgentia nixos ad vetus priuilegium prouocasse, quo iis est promissum, Caesarem ad moenia ciuitatis non accessurum, sed CENSV ANNVO fore contentum. Aretinus Sigismundi tempore vixit eumque Placentiae vidit, seque aliquem cum eo usum habuisse scribit: deinde Constantiae magis naturam ingeniumque eius conspexisse adfirmat: qui Senis interea pacem iterum ciuitati sibi olim aduersanti indulsit.

## §. LXVIII.

Sigismundo diem claudente, nec Alberto II. Austriaco diu superante partim factionibus, partim bellis varie agitatam Florentiam obseruamus: Friderico III. Bohemiae et Hungariae motibus distento, ecclesiaeque nouo schismate ita impedito, vt de Italia ad pacem reducenda serio cogitare vix posset. Sed cum tamen is Romam contendens Eleonoram Lusitaniae Regis filiam sponsam in Tuscia, conciliatore Aenea Syluio, acciperet, non destitere Florentini reducem Roma Imperatorem magnis cumulare honoribus, etiamsi antea mirifice trepidauerant falsis occupati rumoribus, Caesarem Alphonso Aragonio Apuliae Regi Tusciam regendam commisisse: molestissime haec se ferre vix dissimulantes, Imperatori cum Rege aduersario suo foedus esse. Qua suspicione dispulsa Fridericus Florentiae vt *Imperator* ac DOMINVS est exceptus, Aenea Syluio teste, sicuti eum paullo ante Bononia aduentantem satis demisse vt Regem Romanorum coluere. Aperte enim S. Antoninus in historia

storia MS. qui tum temporis Florentinus Archiepiscopus extitit, rem refert: *Ei per Florentiam a MCCCCLII. transeunti totus clerus cum Archiepiscopo* (Antonino) *processionaliter ad portam ciuitatis obuiam processit, ac etiam* MAGISTRATVS FLORENTINI. *Locatus autem in conuentu S. Mariae nouellae ad hospitandum, permansit in vrbe quatuor diebus, et praesens fuit in officio purificationis Virginis gloriosae in missarum solennibus, recipiens deuote a celebrante cereum benedictum, vt de more a fidelibus in ecclesia existentibus dari consueuit, oblataeque ei fuerunt poscenti quaedam reliquiae sanctorum in vase argenteo ornatae a communitate, qui aliquos milites ibi fecit.* Similia Machiauellus prodit in historia Florentina, nisi quod sextiduo post primum aduentum Fridericum Florentiae mansisse refert, sed Antonino credendum magis vtpote scriptori αὐτόπτῃ Ceterum de censu ac pecuniis Imperatori solutis nihil legitur; nisi quod Aeneas obseruat, eum iterum magno apparatu et pompa inter varias gratulationes ex vrbe fuisse eductum Bononiam Ferrariamque cogitantem. Ac multum placuit Florentiae primoribus, Fridericum Francisco Sfortiae Mediolanensem Ducatum ambitiose affectantem denegasse, etiamsi clientelarem non reformitaret nexum: idque euenisse intra ciuitatis suae pomoeria. Minimum pro explorato sumendum, verbis Florentinos maiorem animi submissionem ostendere vix potuisse; sicuti nec ipse Ammiratus, infensus alioquin Imperatoribus auctor, negare sustinet.

§. LXIX.

At cum Maximilianus postea in Carolum VIII. Franciae Regem Neapolitanum regnum ambientem et fere expugnantem ferrum stringeret, causam inter ceteras eam ille potissimum bello praetexebat, quod Etruriam intrasset Carolus ac Florentinorum terras ac castella teneret,

vacuefacienda Germanis et imperio, ne quid hac parte res publica detrimenti caperet. Atque erant sane permulti in Caroli consiliariis, qui ne Senensibus praesidium praestaret, eosque ab imperii iurisdictione auelleret, serio dissuaderent, ne propterea totum Germaniae Regnum commoueretur, vtpote quod vix aequo sit toleraturum animo, turbari sic sua iura, ac retinere insimul Pisanam ciuitatem nunquam non Teutonibus fidelem, aut etiam concitari Tuscos auertique ab obsequio, quod ab antiquo deberent Romano imperio. Quin ipsis Florentinis sceleri datum, esse eos Caroli VIII. partes amplexos, ac fauisse Gallis Neapolitanum regnum anhelantibus.

§. LXX.

Atque hinc factum, vt Maximilianus I. Pisanos Gallorum ope a Florentinorum imperio liberatos defendendos iudicaret, quos de nouo mittere sub iugum laborabant: ea potissimum fini Liburnum obsidione cingens, vt Florentinos officii admoneret sui, consiliaque rebus suis inimica dispelleret. Quae expeditio quamuis secus, ac putabat, caderet, isque tandem variis promissis illectus cum Ludouico Galliae Rege Mediolanensem Ducatum indepto Pacem Blesis componeret; vix tamen Imperator acceptas a Florentinis iniurias concoxit. Vnde diserta in tabulis pacis mentio harum rerum iniecta, simulatque conuentum, vt Maximilianus Reipublicae Ludouici intuitu ignosceret, sed illa interea auctoritatis imperatoriae probe memor Germaniae vtilitatibus remoram amplius nullam iniiceret, nec renitentibus forsan ciuibus Gallus suppetias ferret. Sunt haec ita nota ex annalibus eius aeui, et publicis pacis Blesensis tabulis, quas in *collectione foederum* ad a. CIↃ IↃ IV. retulit Leonardi, vt aliis auctoritatibus opus non sit, sed sequentia duntaxat verba hoc loco videantur apponenda: *Etsi item ad sereniſſi-*

*mi*

*mi et christianissimi Regis Francorum petitionem et instantiam, serenissimus Romanorum Rex vult indulgere, et iudulget per praesentes, Duci Ferrariae, Marchionibus Montisferrati et Mantuae,* FLORENTINIS, *Lucensibus, Senensibus, et Domino Alberto de Carpi et Ioanni Petro de Gonzaga, omnia, quae ab eo die et tempore, quo christianissimus Rex Carolus, nouissime defunctus, primum ingressus est Italiam, vsque in hunc diem, contra suam Maiestatem tanquam Romanorum Regem, et sacrum imperium, commiserunt, aut quouis modo committere potuerunt, tam faciendo, quam omittendo et propter quae feuda eorum, quae a sacro Imperio tenent, ipsi Serenissimo Romanorum Regi deuoluta et confiscata fuissent, et eos ad praefati Francorum Regis petitionem, absoluit et permittit redire in gratiam, et sub fauorem et tutelam Sacri Imperii. Et nihilominus poterunt praenominati Dux Ferrariae, et caeteri, remanere confoederati, seruitores et recommendati christianissimi Francorum Regis, iuxta tenorem tractatus, apud Tridentum, inter Caesaream Maiestatem et Reuerendissimum Dominum Legatum confecti, pro quo ipsi deinceps Romanorum Regi et sacro Imperio, sicut caeteri* SVBDITI, FIDELES, OBEDIENTES, *subditi et dediti esse debent et tenentur.*

*Et si de caetero in his, quae Romanorum Regi et sacro Imperio exhibere tenentur, rebelles et minus obedientes erunt, aut aliquod aliud contra eum committerent, quod tunc vnusquisque Romanorum Rex aut Imperator eos, secundum viam, ordinem, aut* LEGEM IMPERII, PVNIRE *possit, et in isto, neque in aliis quibuscunque principatibus, communitatibus, ciuitatibus, prouinciis, dominiis, et iurisdictionibus totius Italiae, quocunque nomine appellentur, et vbicunque situatae sint, quae Romanorum Regi aut Imperio quouis modo spectarent, nullus Rex Franciae vnquam Romanorum Regi, aut*

*Impe-*

*Imperatori, neque imperio aliquod impedimentum inferre, neque praefatis aut aliquibus contrariis aut rebellibus imperii adiumentum directe neque indirecte dare, sed de his omnibus penitus abstinere velit et debeat. Item tractatum est, quod praefatus christianissimus Francorum Rex non vult, neque intelligit se ingerere, neque intromittere se subditis, feudis et rebus imperii, siue in Italia, siue extra Italiam, nisi secundum quod supra dictum est et formam Tractatus apud Tridentinum inter Serenissimam et excellentissimam Caesaream Maiestatem et dictum Reuerendissimum Dominum Legatum confecti.*

## §. LXXI.

Quo in obsequio cum persisterent, ac Maximilianus, variis Cameracensi foedere in Venetos hostibus concitatis, ipse demum exercitum in Longobardiam duceret, isque post Patauinam obsidionem solutam Veronae aliquandiu ageret, Lucensibus inuidendo priuilegio in castris iam ornatis; euenit denique, vt et Florentini per oratores suos, post varia agitata et iactata, Imperatori quadraginta aureorum millia trima die repraesentanda promitterent adiecta insimul conditione, ne is pro residuo vectigali, quod Sigismundo et Friderico Patri non praestitissent, amplius exigeret quidquam, sed annuo censu animum vindictae cupidum restingueret. Saltem hoc perspicue fatetur Florentinus scriptor Iacobus Nardi; neque id ignotum quadantenus Gerardo Roo fuit Austriaco scriptori, cuius verba alibi leguntur: quid? quod ex epistolis *Andreae de Burgo* ad *Margaretham Austriacam*, Maximiliani I. filiam Bruxellae impressis constat, oratores Florentinos a. 1509. apud Maximilianum Veronae egisse, vbi is tum temporis Ferrariensem quoque Ducem solenni caerimonia inuestiuit, magna foederatorum admiratione, Maximilianum bellicos inter strepitus de talibus

libus cogitare rebus potuisse ; eoque improbabile vix est, impetrasse Florentinos iurium ac priuilegiorum suorum confirmationem, sicuti largissime in castris Patauinis accepere Lucenses. Quod instrumentum IV. *Reliquiarum* Tomo nuperrime publicauit Ludouicus noster, amicus in paucis. Atque ita vero ad vltimam periodum peruenimus, qua populare in vrbe Florentina regimen in agone aliquandiu constitutum cum fragore expirauit tandem. Quod vt intelligatur ordine, faciam.

## §. LXXII.

Erat Medicaeorum nomen genusque Florentiae ampliſſimum saeculoque XI. et sequentibus ita inualescebat, vt summos Magistratus gerere inciperet, Welphorum amicitia opibusque vt plurimum suffultum. Haud difficile foret, primarios eius gentis nominare viros, qui PRIORVM, qui SIGNIFERORVM IVSTITIAE, qui CAPITANEORVM populi aliorumque honorum elogia tulere. Verumtamen sufficiat appellare hoc loco Cosmum, *patriae patrem* dictum, Ioannis filium, cuius diuitias, potentiam, ingenium, mores nemo forte melius, quam Ioannes Gobelinus Vicarius Bonnensis Aeneae Syluii res gestas stilo luculento describens depinxit Libr. II. p. 49. *Praestantissimi*, inquit, *ciues visi sunt aetate nostra Pallas Strozius, Nicolaus Vzanus, et Rodolphus Peruzius. Pallas opibus cunctos superauit, Nicolaus prudentia, Rodolphus armis : aduersus hos factionem excitauit* COSMAS *Medices, propter quam rem vrbe pulsus, Vzano iam vita functo, exilium aliquandiu tulit ; deinde sub Eugenio Pontifice maximo Florentiae sedente, studio partium ab exilio rediit, et tumultuante ciuitate, deterritis, qui sibi aduersabantur, suum locum recuperauit : Rodolphum et Pallantem, pluresque alios ciues vrbe pepulit, qui postea nunquam rediere, quamuis Rodolphus Nicolaum Piccinium ad-*

*versus patriam alliciens, Mugellanum agrum ingressus vastaverit: nam postea in exilio decessit. Pallas aequo animo fortunam aduersam ferens, Patauii vsque ad extremam senectutem philosophiam sectatus est, ibique obiit iam ferme nonagenarius, quem sui ciues eiecissent non meritum. Cosmas deinde sublatis aemulis pro suo arbitrio rempublicam administrauit, easque opes accumulauit, quales vix Croesum possedisse putauerim: aedificauit in vrbe palatium rege dignum: ecclesias alias instaurauit, alias a fundamento erexit: monasterium sancti Marci miro construxit opere, in quo bibliothecam Graecis et Latinis voluminibus referfit: villas magnifice adornauit. Videbatur iam praeclaris operibus inuidiam superasse: sed populi excellentem virtutem oderunt: inuenti sunt qui potentiam Cosmae ferendam negarent, eiusque conatibus multis modis obuiam irent. Et quia aestimatio bonorum, quae quisque possideret, per idem tempus faciunda fuit, Catastum Florentini vocant, Senenses libram, per quam Magistratus facultates ciuium non ignorantes, ex aequo possint inter subiectos onera partiri. Suadebat Catastum innouari Cosmam, inimici aduersabantur: ob quam rem parlamentum fieri placuit: quod dum cogeretur armati vndique collecti iussu Cosmae forum circumdedere, manifestumque imminere periculum ostenderunt his, qui consilium eius damnarent. Decretum est catastum armorum metu; et ciues, qui prius contradicebant, alii relegati sunt, alii aere multati: post haec nihil Cosmae negatum. Is belli, pacisque iudex et legum moderator, non tam ciuis, quam patriae Dominus haberi: consilium de re publica domi suae agitari, magistratum hi gerere, quos ipse designasset: nihil sibi ad regnum nisi nomen et pompa deesse. Aegrotabat Cosmas, cum Pius Florentiae fuit. Ioannes, qui eius pater fuit, ex Medicorum familia ingentes opes liberis suis Cosmae, et Laurentio reliquit. Cosmas supra quam credi-*

*credibile sit eam ampliauit, per omnem Europam negotiatus, et ad Aegyptum vsque fuit. Hic egregio corpore, statura plus quam mediocri, aspectu et alloquio placidus: litterae in eo plures, et Graecarum non prorsus ignarus: ingenium ei perspicax, et ad omnia promptum, quae ageret: animus ingens atque fortis laborem et inediam facile pertulit, et noctes crebro insomnes duxit: nihil ignorauit eorum, quae in Italia gererentur: quippe quod eius consilio magna pars vrbium, et regulorum duceretur: nec eum extera latuerunt, cui ex orbe fere toto mercatores responderent, et quae apud eos fierent, crebris epistolis indicarent. Ad extremum podagra laboravit: cuius antea quam vita excederet, successores filios ac nepotes vidit.* Consentanea huic picturae sunt, quae Nicolaus Machiauellus *Hist. Florent. Lib. VII.* de Cosmo memorat, cuius verba iam dedere alii, inque primis Vir excellentissimus Ioannes Iacobus ab Imhoff ad Tab. V. Stemmatis Medicaei p. 125. cuius nominis sine publica gratae mentis testificatione nunquam sane recordor. Cui si addas Fratrem Cosmi Laurentium ob multas et praestantes animi virtutes populo valde charum, tunc sane habebimus eminentissimae familiae bina capita, vnde Alexander et Cosmus Florentini Principes ac Duces primi originem duxere.

## §. LXXIII.

Et erat Cosmo diuiti vnicus filius, cui Petri nomen, cum morbis arthriticisque doloribus admodum conflictatus; in hoc autem felicior, quod Laurentium et Iulianum genuit praestantissimae indolis filios. A Laurentio Petrus: a Iuliano Clemens VII. Pontifex Romanus prodiit. Memoriae caussa Petrum Laurentio natum nominabimus II. qui Aragoniorum Apuliae Regum partes sectatus Ludouico Sfortiae *Moro*, homini in fraudem acuto et scelesto suspicionem iniecit, ne cum illis in se aliquid moliretur: vnde is ad Caro-

lum VIII. Galliae Regem delapsus calamitoso patriae ipsique Petro consilio Gallos in Italiam euocauit. Quorum aduentu hic perterritus praecipiti decreto, atque inconsulta ciuitate eo rem deduxit, vt Carolus Etruria potitus ipsam vrbem milite suo repleret, Gallico iugo subiiciendam vtique, nisi Ludouici Caponii laudabilis audacia praesenti eam periculo eripuisset, quod Philippus Cominaeus copiose describit in singulari *de Bello Neapolitano* volumine. Inde populi iratae voces auditae, inde inimicorum Mediceae domus artificiosis machinamentis locus relictus, ita, vt publica proscriptione Medicaei omnes hostes iudicarentur abque omni patriae Principatu, atque honoribus infesto diplomate excluderentur: Petro Soderino interea Dictatore creato, qui rebus fortiter gestis obnixo studio aliquandiu prouidit, ne Medicaei iterum ciuitatem intrarent ob ingentes diuitias et arrogantiam tum populo, tum reliquis proceribus, inuidia nimium quantum tabescentibus, validissime suspecti. Sed fecit tamen Iulii II. qui ad Ruueraeam gentem sese referebat, constans astutia, vt Florentini tandem, Soderino abdicato eoque sponte sua ab vrbe discedente, expulsos anno CIↃ IↃ XII. reciperent, receptosque pristinis honoribus, potestate atque auctoritate cumularent. Estque eo magis id mirum visum plerisque, quod medios illi sese inter belligerantes gessissent, nec vlli foederatorum adhaerescentes pacati stetissent, ipsum Imperatorem comiter venerati, Medicaeis minime fauentem. Sed bene iam ab aliis animadversum est, eos facilius perire, qui nulli, quam qui aliis sese aggregant: quod Florentia ea aetate verum deprehendit ab Hispanico Duce Cardona infestis signis ante petita, quam hostem se habere animaduerteret: vnde vero congruens habitum, Hispanorum ausus Iulii II. auctoritate suffultos nec Maximiliano displicuisse Imperatori.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Quod vtcunque ſeſe habeat, certum ſane eſt, Medicaeos ab *eo* tempore ad maiorem modeſtiam mores ſuos compoſuiſſe; ad quod cum accederet auctoritas ſummorum Pontificum Leonis X. et Clementis VII. quorum primus Petri II. frater, alter Iuliani occiſi filius erat, res eorum illibatae aliquandiu perſiſtebant: vtut Strozii, Pazii, Saluiatenſes aliique inuidis oculis eorum iura praerogatiua intuebantur, omni inuigilantes occaſioni ac tempori, quo eos iterum de culmine ciuitatis depellerent. Cuius ſpei compotes demum, Carolo V. regnante, ſunt facti, qui Romam milite expugnans ſuo ipſum Pontificem Clementem VII. captiuum habuit. Vnde opportunum rati tempus eiiciendi iterum tam inuiſam ſibi familiam, inter Principum inſignia ac titulos, ad tyrannidem contendentem.

§. LXXV.

Nemo exiſtimaſſet, tam breui interuallo cuncta iri conuerſum. Poenitebat enim Carolum, ad extrema ſic fuiſſe compulſum Clementem: euigilabant Angli, muſſitabant Heluetii, nouos motus ac bella ciebant Galli, etiam Veneti coniurabant, Mediolanenſes conſpirabant, ita vt Imperator ipſemet omnem lapidem moueret, quo in gratiam rediret cum Romano Praeſule ſatis debellato; ac pacem dein cum ceteris iniret.

§. LXXVI.

Igitur Barcinonae, vbi Carolus ſedebat, de pacis conditionibus actum inſimulque concluſum, vt Florentini a pacis foedere excluſi ad officium reducerentur, formaque Reipublicae popularis commutata, Medicaea familia in patriam reſtitueretur, Alexandro Medicaeo Pontificis NEPOTI Principatu tradito, cui iam Margaretham ex non legitimis nuptiis ſuſceptam filiam in matrimonium deſtinauerat.

Quod condictum factum. Caesar Barcinona Genuam multo milite comitatus appellit: dein Bononiam vectus pacem cum hostibus perficit: rursus diademate imperiali et Langobardico inauguratur: mox Philibertum Araufionenfem atque Vastium Cortonam in agrum Florentinum cum copiis mittit; Pontifice fuum exercitum iungente: Fit obsidio: conquiescunt Veneti: cessant auxiliares manus porrigere Galli: capiuntur oppida, ac diripiuntur: vrbs quassatur: vtrinque clades illatae et acceptae: occiditur Araufionenfis; ac tandem vero Ferdinandus Gonzaga, qui post eius obitum principem in exercitu locum obtinebat, his conditionibus peruicaces et tantum non fame enectos Florentinos in deditionem accipit: nempe *vt Caesar Rempublicam Florentinam, incolumi* LIBERTATE, *prout sibi videretur, ordinaret; captiuis libertas; extorribus ciuitas redderetur, iniuriarum omnium ac praeteritarum rerum memoria obliuione deleretur: octoginta aureorum millia in stipendia militum a Florentinis persoluerentur.* Agnoscat Lector Andr. Mauroceni verba historiarum Venetarum Libro III. in fine p. 138. viri pragmatici, in vsu rerum versati atque longe politissimi.

## §. LXXVII.

Nemo hic differat, aut illepide somniet, Clementis arbitratu omnia esse peracta: immo potius Caesari reseruata scribit Mauroceni: a quo neutiquam dissentit Guicciardinus, conspiratque Iouius; nec ipsi Florentini Historiarum auctores diuersum produnt. Quod autem de libertatis incolumitate adiectum, Florentinos parum, aut nihil iuuat. Neque enim Carolus in seruitutem eos rapuit, sicuti meruissent Florentini, domino suo rebelles, Lautreckio Gallorum Duci in Apuliam contendenti arma, viros, commeatum praestando, contra fas, ac fidelitatis toties promissae clarissima argumenta; quod nec diffiteri vnquam sunt ausi Florentiae

rentiae ciues. Minimum ipsi Oratores, quos Ianuae audiebat Caesar, facinus illico sunt confessi, clementiam eius implorantes, culpam in Pontificem referendo: in CAROLI voluntate atque auctoritate futuram in posterum ciuitatem polliciti. Verum cum immota maneret sententia, criminis Maiestatis eos reos esse, qui in IMPERATOREM ferrum strinxissent; ac deponenda primum arma; et ii vero belli ducem Malatestam Baleonium constituerent; nullo modo Clementi auscultantes Pontifici de restituenda familia sua sollicito; iam sane Caesar suam rem agi merito existimabat. Hinc factum, vt eius Duces, nempe Philibertus Arausionensis, et Ferdinandus Gonzaga rem strenue gererent, atque postremus tandem toti scenae finem imponeret. Cum hoc igitur imperatorii exercitus duce pepigere ad incitas redacti ciues, non autem cum Papa, de cuius commodis curam gerebat Carolus, auctor pacis, arbiter imperii, dispensator libertatis, atque ordinator totius status Florentini.

## §. LXXVIII.

Ceterum lubentes permittimus, egisse Carolum in Barcinonensi tractatu cum Pontifice, vt Medicaei inque primis Laurentii posteri Florentiam reducerentur, eiusque etiam consilio datum, vt de modo restitutionis tam anxie quaesitae cogitaret. Aliud nihil foederis toties laudati ab aduersae partis defensoribus verba continent: *Item cum spoliatis omnia iura faueant, nec minus fauorabilis censeatur spoliatorum restitutio, quam possidentium manutentio, et defensio horum potissimum, qui etsi naturali et corporali possessione priuati, animo tamen ciuilem possessionem retinent, cuius vigore etiam naturalem de facto occupatam, de facto etiam licite recuperant, cum id potius defensionis naturam obtineat; Memor. Caes. Maiestas, quod illustris suae Sancti-*

*Sanctitatis Familia, haeredes scilicet quondam magni Laurentii de Medicis a clarissimae Memoriae* MAXIMILIANO CAESARE, *ac* FERDINANDO *Rege Catholico eius auis paterno atque materno, superioribus annis in Patriam Florentiam restituti exhibuerunt; dolensque inter caeteras Sanctitatis suae calamitates hoc quoque euenisse, vt quidam Sanctitatis suae hostes, qui eadem iam antea consilia agitabant, illa occasione arrepta, velut desperatis Sanctitatis suae rebus in familiam de Medicis insurrexerunt, cupiatque S. Caes. Maiestas pro filiali erga Sanctitatem suam obseruantia, et amore, etiam contemplatione matrimonii tractati, et conclusi inter illustrem Dominum Alexandrum de Medicis S. Sanctitatis Nepotem, Ducem Pennae, et illustrissimam D. Margaritham de Austria ipsius Caesaris filiam naturalem, aliisque iustis mota respectibus d. Familiam, annuente altissimo, in Patriam, et pristinum statum restituere. Ideo actum extitit, et conventum, quod aut ipsius Caesareae Maiestatis copiis et viribus,* AVT EO MELIORI MODO, QVO ID FIERI POTERIT, *cum primum id commode exequi et ad effectum deduci queat, dicti haeredes quondam magnifici Laurentii, nepotes scilicet et familia Sanctitatis suae de Medicis reducantur in patriam ac ciuitatem Florentiam, integreque restituantur non solum ad bona occupata, sed in eundemmet statum, dignitatem atque amplitudinem, et ad gubernium et regimen eiusdem* CIVITATIS, *et Reipublicae,* IN QVIBVS ERANT, *antequam proxime eiicerentur: quod quidem S. Maiestas efficiet non magis* PRIVATI *suae sanctitatis commodi, ac dignitatis causa, quam ad euitandum eius vrbis periculum, nec non ob publicam Italiae quietem, quam cum sua Maiestas summopere cupiat tranquillam, ac pacatam reddere, eodemque animo esse videat S. Sanctitatem, facilius id confici posse existimat, Reipublicae Florentinae statu ad* ARBITRIVM *S. Sanctitatis constituto.* Postrema verba vero non tam probant, Carolum omnia arbitrio Clementis permisisse, quam hoc potius: Imperatorem existimare, melius atque beatius Florentinum municipium regi vix posse, quam si Medicaei iterum ad pristina iura restituerentur, sicuti arbitraretur Pontifex.

§. LXXIX.

## §. LXXIX.

Enim vero tum nondum Florentini ad extrema rem pepulere, nec Caesaris irarum nouam molem in se deriuarunt: generatim duntaxat polliciti, se Caesaris fidei et auctoritati sese submissuros: de Medicaeis autem reducendis nihil illi concedere, nec auscultare Pontificis consiliis ac votis, nec Caesaris parere praeceptis voluere, expectantes et sollicitantes Francisci Galliae Regis adiumenta et instrumenta. Vnde nouum crimen; prehensaque arma. Postea vero deditione facta coactique vi consenserunt tandem, vt ad nutum Caesaris ordinaretur res Florentina, SALVA LIBERTATE. Nec aliud Pontifici placebat; cumque interea Carolum in Germaniam vocarent turbae ob religionis discrimen coortae, permisit is Clementi, vt quomodocunque concordiam Medicaeos inter huiusque domus inimicos reduceret. Quod et fecit, Alexandrum legitimum successorem Laurentii declarans, quem hic, aut potius buccinante fama, ipse Clemens Pontifex, (*) extra vxorium hortum proseuerat: vt omnium munerum ac praerogatiuorum iurium esset particeps, quae patria in sua habuisset vnquam gens Medicaea; idque Papa *motu proprio et de plenitudine potestatis* se efficere apud *Varchium* pronuntiat; nempe vt IVRA LEGITIMITATIS consequeretur; captis, proscriptisque interea multis, atque interfectis, qui hostilem in Medicaeos animum ostentauere. Ac tum demum post aliquod



(*) SCIPIO AMMIRATVS ab ipso Cosmo Duce hoc se percepisse adfirmat: nec dissimulat VARCHIVS, multos hac in opinione fuisse p. 188. et p. 468. hancque primariam peritioribus caussam visam, quare Florentino principatui destinauerit Alexandrum; ac Hippolytum vero Iuliani filium naturalem, Laurentii magnifici nepotem, cardinalitia dignitate recreauerit.

temporis interuallum ex Augustana in Vindelicis ciuitate Imperatoris CAROLI decretum Florentiam deferebatur, abolitoque populari statu Alexander Princeps Senatus solenni ratione dictus atque imperatoria auctoritate legeque sacrata est firmatus. Pontificem vero huic rei interuenisse, nemo negat: vt qui Alexandrum in oculis ferebat, et patriae ac familiae suae commodis inuigilans id inprimis agebat, ne Medicaei vnquam de principatu deiicerentur; idque Carolus V. Strotziis, Rudolphis, Saluiatis, aliisque Alexandrum infensos habentibus ingenue regessit: se Florentinorum petitione, PAPAEQVE CLEMENTIS VOTIS commotum Alexandrum in tam alto dignitatis gradu constituisse, nimirum vt esset Dux (*) Florentiae ac Pisarum: nunquam ceteroquin id facturus ac ne quidem cogitaturus. Nunc igitur illum esse ferendum eaque, qua par est, obseruantia parendum isti. Refert haec Franciscus Rabelaesius (**) Gallorum

(*) Dubitare animaduerto nonnullos, vtrum Carolus Ducem creauerit Alexandrum, an potius principem Reipublicae Florentinae? Ego existimem, Alexandrum non solum appellatum Ducem, quia a Clemente VII. statutus est Dux ciuitatis Pennae; sed et propterea hoc elogium tulisse, quod Venetorum Princeps, qui est caput Senatus, Ducis nomine insignitur: quod nec illi negatum. Vnde eodem recidit, Principem appellites, an cum Rabelaesio aliisque Ducem? Id certum, Alexandrum singulari diplomate nunquam a Caesare Ducis titulo esse ornatum; vtut ab illo saepissime nominatus est DVX ALEXANDER, quemadmodum Cosmus, alio, quam Alexander titulo, Florentino statui neutiquam est praefectus; Ducis interea δεῖγμα ferens, absque omnibus ea appellatione cohonestatus.

(**) Sunt illae epistolae anno huius saeculi X. iterum impressae Bruxellae, Sammarthanorum fratrum obseruationibus illustratae: estque illa, vnde excerpsimus quaedam, VII. numero.

rum Lucianus Romam tum temporis cum Ioanne Bellaio Cardinale profectus; cuius ipsissima verba e litteris ad Episcopum Godofredum Malleacensem in Pictauis scriptis dabo: *I' entends, que les affaires des Cardinaux Saluiati et Rodolphi n' ont y expedition: Et que l' Empereur leur a dit peremptoirement, qu' à leur requeste et instance; ensemble du feu Pape Clement, il auoit constitué Alexandre de Medicis, Duc sur les Terres de Florence et Pise. Ce que iamais n' auoit pensé faire, et ne l' eust fait. Maintenant le deposer, ce seroit acte de bastelleurs, qui font le fait, et le deffait; Pour tant qu'ils se deliberassent le recognoistre comme leur Duc et Seigneur, et luy obeissent, et luy obeissent comme vassaux et suiets, et qu'ils n'y fissent faute.* Quae verba memoratu non solum sunt digna; verum etiam scopo nostro vehementer congrua. Nominati quippe Cardinales patria Florentini, summis a Caesare precibus contenderunt, vt Alexandrum ciuitati praeficeret: haec quoque Pontificis mens erat, haec eius enixa voluntas: sed Carolus rem perfecit, cuius curae Italiae regnum subiacebat, cuiusque insimul erat, Etruriae saluti prospicere, rem cum auctoritate gerere, atque imperatoriis codicillis ac priuilegiariis tabulis fulcire ac munire. De libertate vero a Ferdinando Gonzaga Victore vrbi expugnatae promissa non Florentini, sed Carolus statuebat, idque arbitrii deditionis lege illi est seruatum. Et neutiquam vero sola popularis libertas LIBERTAS est: omnesque sane illepide perquam rationes subduxissent, si praesentem reipublicae statum existimassent mansurum, hoc est, populare, seu democraticum regimen, quod tamen immutandum praedixit Caesar, cupiebat Clemens, iamque quodammodo erat extinctum, cum DVODECIM VIRI Medicaeis addicti legerentur, qui rempublicam interea administrarent; antequam illa ciuitatis procuratio solenni ritu Alexandro addiceretur. Si quid

 video,

video, hoc sane Gonzaga, id Imperator LIBERTATIS nomine comprehendebant, vt Etruriae status consisteret PER SE, nec REGNI ITALICI adscriberetur FISCO, nec Caroli possessionibus ἀμέσως agglutinaretur; idque codicilli imperiales ostendunt plus satis. Vt vero summo imperio Regis atque Imperatoris subduceretur, nouusque Princeps ἀνυπεύθυνος foret, nulli, nisi soli DEO subiectus, id nemini in mentem venit: de eo Caesar nec cogitauit, nec Pontifex Medicaeus per somnum, nec Alexander Dux, nec quisquam alius sani syncipitis. Quid? quod refert *Rabelaesius*, Carolum promisisse tandem Saluiato et Rudolpho Cardinalibus Florentinis, se iturum Florentiam ac cogniturum de ciuium querimoniis: *Au regard des plaintes qu'ils faisoient contre le dit Duc, qu'il en* RECOGNOISTROIT SVR LE LIEV. *Car il delibere aprés auoir quelque temps seiourné a Rome, passer par Senes, et de là à* FLORENCE, *a Bologne, à Milan, et Gennes. Ainsi s'en retournent lesdits Cardinaux, ensemble Monsieur de Xaintes, Strossy, et quelques autres,* RE INFECTA.

## §. LXXX.

Ex quo abunde, credo, innotescit, quam sint libertatis Florentinae defensores iniurioſi in Carolum V. iniqui itidem in ipsam Medicaeam domum, quando de immunitate ciuitatis ad officium reductae tam illiberalia somniant, tam male cohaerentia eloquuntur, tam veri dissimilia ac falsa excogitant atque, inter varias naenias, vniuersa confundunt. Potius ipse Alexander Neapolim veniens *Benefactoris* sui manus demisso obsequio osculatus, Margaretham Filiam Imperatoris notham solenni tandem ductu a. CIↃIↃXXXVI. Florentiam transtulit: Carolo interea in generi gratiam luculenta Strozii, Saluiati, Rudolphi promissa spernente, centum aureorum nummum myriades offe-

offerentium, si castellum, quod ROCCA appellatur, ab Alexandro aedificari coeptum, primam libertatem anhelantibus Florentinis tradi iuberet, seruandum Imperatoris nomine ac propriis petentium sumptibus praesidiario milite custodiendum: cui ingenti summae vnusquisque exulum centum aureorum millia adiiceret amplius, prompte et ad nutum Imperatoris exsoluenda, si petitis daretur locus. Quae omnia sicuti sincere refert laudatissimus RABELAESIVS Romae ea tempestate vitam transigens; ita silentio inuolui vix debent, quae is epist. XIII. p. 33. adnectit: *L'Empereur les a remis pour resolution finale à sa* VENVE EN CESTE VILLE *en la* ROCQVA, *qui est vne place forte â merueilles, que ledit Duç de Florence a basty en Florence. Au deuant du portail il a fait peindre vne Aigle qui a les aigles aussi grandes, que les Moulins à vent de Mirebalais, comme protestant et donnant entendre,* QV' IL NE TIENT, QVE DE L'EMPEREVR.

## §. LXXXI.

Vnde iudicari potest, quid de Varchii fabula sit habendum, quam is spargere in vulgus haud erubuit, magni Cosmi velificaturus caussae ad altiora ambitioso gradu contendentis. Refert enim ille Libr. XIV. *Historiae Florentinae* patrio sermone conscriptae, voluisse Caesarem beneficiario vinculo constringere Alexandrum generum, eoque per consiliarios suos noui Ducis, qui tum Neapoli versabatur, mentem explorasse: qui tamen ad libertatem prouocasset, veritus, ne, si in imperii fiscum censum annuum inferret, ac se Caroli eiusque successorum vasallum profiteretur, libertas Florentinorum nimium quantum imminueretur, iique non sine specie disseminarent, opprimi ab ipso ac vendi immunitatem, quam tot laboribus, ac sanguine saepe suo redemissent. Qua narratione nihil sane inhumanius atque

inficetius poteſt excogitari. Quis enim auſum credat muſſitare Alexandrum multis tum criminibus adſperſum, cum ageret Neapoli ac variis defenſionibus vteretur, ne exules querimoniis ſuis Imperatoris aures animumque occuparent? Quis eum obloquutum vſquam legit et vnquam, praeſertim cum Caroli exercitus praecipua Etruriae munimenta inſideret, atque in propinquo eſſent copiae vſu exercitatae, et ius et potentia ſoceri recenti memoriae obverſaretur? Vnde nouum commentum *Defenſoris*: Alexandrum clam ſeſe proripuiſſe inde; ne iugum imperii ſubire nouo titulo cogeretur: quaſi is imperio haud ſubeſſet, qui ab imperio quidem ſua tenet, non autem beneficiario nexu obligatus eſt eidem. Immo vero poſtea adnotabo, arctius eum obſtringi, qui ſic accipit ſua, vt non tam ſit FEVDATARIVS, quam SVBIECTVS. Verum tamen ſalua res eſt: nunquam renuit Alexander, ſed ſe ſuaque potenti ſimulatque benigniſſimo Socero permiſit: probe gnarus, non penes ſe eſſe magnum meritorum numerum, ſed pauca admodum, quae allicere fauorem tum Caroli, tum Margarethae Sponſae apta forent. Erat enim is fuſci coloris homo ac labris propendentibus admodum deformis, ita vt Maurae foeminae vtero crederes emiſſum certo, quemadmodum increbuit vndique fama. Quod autem *Farſoni* adfirmat, eum clanculum auſugiſſe, perſpicue falſum eſt, cum ipſe Varchius adſeueret, eum Valorii conſilio poſthabito in Neapolitana ciuitate manſiſſe, ne ſe in omnibus reum haberet Imperator, quae ab aduerſariis et exulibus Florentinis obiicerentur. Vnde merito concluditur, aut admodum negligenter eum legiſſe Varchii annales, qui tam aliena a veritate prodit, aut de induſtria diuerſa in vnum compegiſſe, vt Lectori illuderet. Id enim Varchius teſtatur ſuaſiſſe Valorium, vt abiret Alexander ſine Imperatoris

ris venia, bona nequaquam mente; sed vt in extremas angustias coniiceret Principem, quem odio coeperat prosequi. Audiamus hac de re ipsum Varchium p. 575. *Questo accettar lo Imperadore la seconda volta le domande de' Fuorusciti, ed il significar loro, che non si partissero di Napoli, mossero tanto il Duca Alessandro, ch' egli si voleua nascosamente, e* SENZA LICENZA (*) *di Cesare partir di Napoli, e ritornarsene a Firenze, e a ciò fare lo confortaua con efficaci parole Bartolommeo Valori, sic come quegli, il quale essendo fieramente sdegnato col Duca, ed aueua tenuto insino, in Firenze, e teneua ancora segrete pratiche, e strette con i Fuorusciti, e particolarmente con Filippo Strozzi, e conoscendo, che il partir suo di Napoli in quella maniera doueua essere ragioneuolmente la sua rouina, lo consigliaua maluagiamente a pigliar quel partito. Ma Francesco Guicciardini, Francesco Vettori, Ruberto Acciaiuoli, e Matteo Strozzi, i quali ancorchè auessino, quando e' giunsero in Napoli date buone parole a que' capi de' Fuorusciti, i quali noi dicemmo di sopra, che aueuano ragionato con loro, procedeuano nondimeno schiettamente, e fedelmente col Duca Alessandro, si come quegli, che ancóra si ricordauano di quelle ingiurie, e oltraggi, i quali aueua poch' anni innanzi fatti loro lo stato Popolare, lo consigliarono a non si partire di Napoli per cosa del mondo, di monstrandogli con viue ragioni, e buone, a quanti manifesti pericoli lo farebbe soggiacere quella cosi fatta partita, delli quali vno principale era, che s' egli si partiua di Napoli in quella maniera, ch' ei dimostraua di voler partir sene, egli veniua tacitamente a confessare, che tutte quelle accuse, che gli poneuano i Fuorusciti innanzi all' Imperaddore in publico, e segretamente ancóra, fossero vere, e per consequente, che la ragione fosse dal lato loro; onde Cesare poteua*

(*) Eadem de re aliquid innotuit Ioanni Baptistae Hadriano Florentino historico confuse plurima referenti.

*poteua giustamente condannarlo, e che per ciò era molto meglio per lui il mandare a pregar l' Imperadore, che gli piacesse di spedirlo, perciocchè il badar tanto tempo in Napoli, ed il tardare anche tanto la spedizione della causa sua, era con grandissimo danno e vergogna.* Ex quo manifestum redditur, quantum fidei sit tribuendum causidico Florentinae libertatis tam male et infideliter excerpenti Varchii historiarum libros omnium in manibus versantes. Potius is Neapoli mansisse non solum dicitur, sed reuera mansit, et aures Imperatoris eiusque administrorum, ne admitterent Philippi Strozzii accusationes, qui Rabelaesio teste epist. I. p. 6. insignem pecuniae vim promittebat, si Carolus viros eligeret neutri partium addictos, qui in noui Ducis vitam, mores, facinora inquirerent. Quod etsi factum non est, constat tamen hinc, quam nullas habuerit Alexander refragandi socero causas, vt qui Margaretham filiam nondum in lectum genialem Ducis traduxerat, qui extorrium precibus fatigatus quotidie nouas conquestiones audiebat; atque aliquid forte Principis commodis statuisset aduersum, nisi Gallici belli turbo ab hoc eum consilio auertisset. Neque enim is Florentinis vltro exulantibus multum fidebat libertatem continue crepantibus, clanculumque ad Gallorum societatem inclinantibus. Saltem hoc Belcarius scriptor Gallus sine circumitione enuntiat, hancque fuisse caussam prodit, quare, Clemente VII. iam extincto facibusque nuptialibus nondum accensis, ac Margaretha adhuc integra, CAROLO de libertate Florentinae ciuitati restituenda nihil persuaderi potuerit: quamquam aureos Caesari liberatori montes pollicerentur extorres, Saluiati, Rudolphi, Strozzii aliique innumeri: Alexandro interea nihil ostentante, quod vel decus ei, vel auctoritatem, vel amorem conciliaret; si generi conditionem et submissa quaeuis obsequii signa excipias.

§. LXXXII.

## §. LXXXII.

Quocirca mirum mihi semper visum est, iactari libertatem a Florentinis, quam extinxit quodammodo Carolus, Medicaeorum interuentu; sed qui interea Caesaream maiestatem et auctoritatem et priuilegia, et beneficium vndique agnouerunt, perpetuo certe in exilio oberraturi, nisi Caroli exercitus refractarios Florentiae proceres ac ciues ad saniora consilia populisset, et populare regimen insigni metamorphosi in principatum conuertisset. Quod autem principem hunc vasalli habitu non conuestiuerit, inde est potissimum deducendum, quod simulacrum libertatis relinquere voluerit superbae plebi, atque interdum insanienti, minime omnium autem veram libertatem et nulli mortalium obnoxiam permittere maiestatem, sicuti infruniti quidam animum induxere: quanquam sibi ipsis non constant, dum modo Pontificem eius rei architectum laudant, modo ipsum Carolum summa potentia armatum ita impotentem fingunt, vt difficile sit satyram non scribere. Sed subiiciamus ad os obturandum hisce hominibus instrumentum ac prtuilegium Caroli, quod eius Orator Mussetola, Neapolitanus patria, et IC. haud infimi subsellii, Florentiam adtulit, quodque etiam executioni datum est accurate:

*CArolus quintus Augustus, diuina fauente Clementia Rom. Imperator, ac Germaniae, Hispaniarum, vtriusque Siciliae, Hyerusalem, insularum Balearium fortunatarumque, et magni orbis Indiarum etc. rex, archidux Austriae, dux Burgundiae et Galliae Belgicae Dominus etc. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus et notum facimus tenore praesentium vniuersis; Postquam summa Dei opt. max. benignitate et clementia, Romani imperii cura nobis commissa est, summum semper nostrum studium fuit, ne quid damni, aut incommodi, nobis imperantibus, respublica pateretur. Hinc relicta*

*Hispania, ea potissimum ratione in Italiam venimus, vt ab his, quibus assidue vexabatur, malis, eam liberaremus, pacemque illi atque otium, pro bellis et seditionibus concederemus nostroque animo, ac voluntate illa perspectis, cum depositis armis, ad nostram, et Romani imperii deuotionem, atque amicitiam facile aduenerint, vna tantum* FLORENTIA *excepta, nonnullorum perditorum hominum consiliis atque artibus, praeterquam quod nobis absentibus arma in* NOS *et* ROMANVM IMPERIVM *ceperat, regnum nostrum Neapolitanum, et sanctae Romanae ecclesiae, cuius nos aduocati sumus, ditionem, armis infestauerat, nobis quoque praesentibus, animo nostro non satis perspecto, legionibus nostris portas hostiliter occludere, vrbem munire, seque intra moenia continere, atque nostram et Romani imperii auctoritatem contemnere praesumsit, ac nos, qui non ad perdendam sed ad seruandam eam vrbem veneramus, quique a pristino nostro de pacanda Italia instituto, non recesseramus, tandem militibus nostris imperauimus, vt tamdiu eam obsidione premerent, quousque facti poeniteret, ad* NOSTRAMQVE *et* ROMANI IMPERII DEVOTIONEM *veniret, cumque post longam obsidionem sese nobis ea lege dederit, vt nos eius regimen, gubernium, et statum,* ARBITRIO NOSTRO *disponeremus atque ordinaremus: nos eam ciuitatem in deditionem acceptam, tametsi ex causis super narratis, et quam multis aliis legitimis rationibus omnibus priuilegiis, quae a* MAIORIBVS *nostris Romanis imperatoribus ac regibus et sacro Romano imperio maiores sui obtinuerunt, de vniuersoque eius dominio, atque statu, tanquam ad nos et Romanum imperium* DEVOLVTO, *arbitrio nostro disponere iure nobis licuisset. Cupientes tamen, vt ipsa quoque ciuitas clementiam nostram experiatur, fauore etiam atque intuitu beatiss. patris nostri Clementis VII. pontificis maximi, qui*

*tan-*

*tanquam eiusdem reipublicae salutis, quïetis et libertatis studiosissimus, pro ea intercedere dignatus est, motu proprio, et ex certa nostra scientia, firmo et deliberato animo non per errorem, aut improuide, sed sano principum, baronum, comitum, procerum, atque aliorum nostrorum, et Romani imperii fidelium dilectorum ad hoc accedente consilio, et de nostrae imperialis potestatis plenitudine, eidem reipublicae* FLORENTIAE, *quidquid in his omnibus supra dictis et alias quomodocunque contra nos et Romanum imperium commisit, tenore praesentium remittimus, eamque in nostram et Romani imperii gratiam recipimus, reponimus, restituimus, et redintegramus ac si ea nunquam per ipsam commissa forent. Decernentes ac volentes, vt dicta ciuitas Florentina, eiusque ciues, incolae et subditi, huius gratiae et indulti nostri vigore, eiusque beneficio, omnibus priuilegiis, gratiis, exemptionibus et libertatibus per totum Romanorum imperium, et vbique locorum, et terrarum vtantur, fruantur, et gaudeant, quibus, antequam a deuotione nostra recederent, vtebantur, fruebantur et gaudebant absque vllo impedimento vel contradictione. Praeterea cum summi Pontificis tantum valeat apud nos authoritas, vt nihil illi negare velimus, eius fauore, atque intuitu, vtque Florentini suae sanctitatis et nostram benignitatem et gratiam magis ac magis agnoscant et amplectantur propria eiusdem motu, scientia, animo, authoritate et potestate praedictis, omnia et singula priuilegia, iura, concessiones, exemptiones, libertates, gratias et indulta Reipublicae Florentinae a maioribus nostris Romanis Imperatoribus et regibus concessa, et concessas, quibus, antequam a nostra et Romani Imperii fide ac deuotione recederent, vtebantur in omnibus suis articulis, punctis et clausulis, ac si his nostris de verbo ad verbum essent inserta confirmauimus, ratificauimus, approbauimus ac tenore praesentium confirmamus, ratificamus, approbamus, hisque*

*vniversis robur et authoritatem nostram impertimur, ipsamque rempublicam Florentinam cum Regimine a nobis inferius disponendo, in nostram et Romani imperii gratiam, tuitionem, protectionem, et saluam guardiam suscipimus et assumimus, susceptamque et assumptam esse dicimus, decernimus et declaramus, cum autem ad perpetuam huius reipublicae Florentinae libertatem, pacem, quietem et tranquillitatem, vtque in* NOSTRA *et* ROMANI IMPERII DEVOTIONE *perpetuo maneat, superst, tum ratione imperialis nostrae dignitatis et authoritatis, ad quam spectat rerum publicarum salutem et pacem nobis interuenientibus, et ipsam rempubl. Florentinam, cum deditionem faceret, nominatae eiusdem reipubl. regimen, gubernium, et statum disponamus et instituamus, et pro solito instituto nostro nihil aliud quam eius et vniuersae Italiae salutem, pacem, quietem, et libertatem quaeramus, animaduertentes rempublicam ipsam, veluti et alias complures, eius esse naturae atque ingenii, vt sub huiusmodi regimine et magistratu, in quo esset* VNVS, *cui eius praecipua cura incumbat, longe melius ac felicius regatur et gubernetur, quam vbi res ad populares magistratus defertur, quodque quamdiu ill. Mediceorum familia, quae diu suo merito in ea republ. floruit tanquam* CAPVT REGIMINIS *supremum illius curam habuit, tum vere et publ. et priuatis opibus floruisse, multumque et rei et dignitatis illi accessisse; contra vero vbi aemulorum malitia atque inuidia ab ea authoritate illa deiecta extitit, resque ad popularem factionem delata est, tunc omnia, quod nouissima haec calamitas et illius dominii deuastatio facile testantur, publica atque priuata corruisse, et ad eam vsque miseriam redacta esse, vt nisi beatissimus Pontifex ac nostra Clementia illi succurrisset, de eius dominio ac libertate actum esset. Igitur cupientes eiusdem*

*dem reipubl. saluti, libertati, quieti et tranquillitati optime consultum esse, atque vniuersali Italiae pacem stabilire, nostramque et Romani Imperii dignitatem et authoritatem, vt tenemus, conseruare, ne res iterum ad popularem factionem deuenire, et propterea dominium atque libertas dictae reipubl. periclitari et opprimi valeat, eisdem motu, scientia, animo, consilio et auctoritate praedictis tenore praesentium, statuimus, decernimus, et declaramus, volumus et iubemus, vt deinceps perpetuis futuris temporibus magistratus dictae reipubl. eisdem modis et formis eligantur, disponantur et instituantur, quibus ante eiectam ipsam Mediceorum illust. familiam eligebantur atque instituebantur, vtque eadem ill. ipsa Mediceorum familia, et imprimis ill.* ALEXANDER DE MEDICIS, DVX *ciuitatis Pennae, cui nuper ill.* MARGARITHAM *filiam nostram naturalem despondimus, quamdiu vixerit, atque eo e viuis sublato, eius* FILII, HAEREDES, ET SVCCESSORES EX SVO CORPORE *descendentes* MASCVLI, *ordine* PRIMOGENITVRAE *semper seruato, et illis deficientibus, qui* PROXIMIOR MASCVLVS *ex ipsa Mediceorum familia erit, et sic successiue vsque in infinitum, iure primogenitorae seruato, sit atque esse debeat dictae reipublicae Florentinae gubernii, status, atque regiminis caput et sub eius praecipua cura et protectione ipsa ciuitas, et respublica, cum vniuerso eius statu, et dominio regatur, manuteneatur, et conseruetur, et tam ipse ill.* ALEXANDER *quam sui praedicti possint et valeant, ac debeant in omnibus supra dictis magistratibus, qui in praesentia sunt, et pro tempore, modo, quo supra, aut alia quomodocunque disponentur, interesse, hisque praeesse, ac si iis qui pro tempore iuxta ordinem vt supra dispositum, praeesse debebit, ad singulos ipsos magistratus publicis suffragiis tanquam caput electus et designatus foret. Decernentes, ac volentes et hoc nostro imperiali edicto perpetuo valituro statuentes, vt si quando dicta respubl. Florentina hoc regimen, modo quo supra a nobis institutum violare, aut inuertere, aut ei quouis temerario ausu contraire audebit, tanquam nobis, ac Rom. imperio ingrata, rebellis, et inobediens, suaeque saluti, libertati, quieti, pacis, et tranquillitati contraria, supra scriptis nostris, remissione, indulto, confirmatione,*

*approbatione, ratificatione, et gratiis, aliisque omnibus, et singulis priuilegiis, concessionibus, exemptionibus, libertatibus, et gratiis, eidem a praedecessoribus nostris Rom. imperatoribus et regibus, et sacro Romano imperio, quomodolibet, et ex quacunque causa concessis, priuata, atque vniuersum eius dominium, ad nos, et ipsum Rom. imperium deuolutum censeatur, quemadmodum eam nos ex nunc, prout ex tunc, et e contra, privamus, eaque omnia et singula supra scripta reuocamus, cassamus, annullamus, et cassa, nulla atque irrita et vniuersum dictae reipublicae dominium ad nos et Rom. imp. ipso facto deuolutum esse volumus, decernimus, declaramus, et pronuntiamus, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus, etsi talia forent, de quibus specialis, expressa, ac de verbo ad verbum in his mentio fieri oporteret, quibus omnibus et singulis, eisdem motu, scientia, animo, authoritate, et potestate praedictis derogamus, et derogatum esse volumus per praesentes, supplentes omnes defectus, tam iuris quam facti, et solennitatum omissiones, signis aut quae forsan in his interueniissent, aut allegari quouis modo possent, quae omnia et singula, vt in fauorem dictae Mediceorum illust. familiae interpretentur, volumus et iubemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae remissionis, indulti, confirmationis, approbationis, ratificationis, statuti, decreti, voluntatis, declarationis, et institutionis paginam infringere, aut ei quouis temerario ausu, directe aut indirecte contraire: si quis autem id attentare praesumpserit, nostram et imperii sacri indignationem grauissimam, et poenam centum marcharum auri puri, se nouerit irremissibiliter, quoties contra fecerit incursurum, quarum medietatem fisco nostro imperiali, reliquam vero partem, iniuriam passi, aut passorum vsibus decernimus applicandam harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum et sigilli nostri Caes. appensione muuitarum. Datum in ciuitate nostra imperiali Augusta die XXVIII. mense Octobris anno Domini MDXXX. Imperii nostri XI. regnorumque nostrorum omnium XV. Ad mandatum S. Caesareae et Cathol. Maiestatis.*

Sequitur iam actus initiationis publico instrumento descriptus:

IN

*IN NOMINE INDIVIDVAE TRINITATIS.*

*PEr hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat euidenter, quemadmodum conuocatis, ac personaliter constitutis in sala magna inferiori palatii magnificorum dominorum Florentinorum excellent. Dominis, Dn. Prioribus libertatis, et vexillifero iustitiae populi Florentini, vna cum venerabilibus collegis, caeterisque magistratibus ciuitatis. Quorum nomina sunt etc.*

*Hinc est, quod in praesentia magnificorum Dn. magistratuum praedictorum, nec non plurimorum aliorum ciuium Florentinorum, in praedicta sala magna existentium, vbi ad infra scripta audienda et peragenda, ianuis apertis, et in maxima multitudine, veluti in actu publico conuenerant, personaliter existentes et in medium assurgens magnificus vir, et V. I. D. praeclarissimus Dn. Io. Antonius Mussetola de Neapoli, orator, nuntius, et commissarius a sacratissimo domino Dn. Carolo V. Rom. imper. semper augusto ad infra scripta et alia peragenda, vt dictum, specialiter deputatus, et legitima facultate suffultus, cum ea, qua decuit circumspectione, non minus ornate, quam copiose, in latino sermone, vt melius ab omnibus intelligi possit, ita eloquutus dixit. Cum idem seren. Dn. Imperator vt rebus Italiae, diuturno bello non mediocriter afflictis occurreret, et pacem inter dissidentes componeret, ad effectum, vt rebus pacatis, arma christianorum in Turcas, christiani nominis hostes, felicius conuerti possent, ex Hispania in Italiam applicuisset, et cum Venetis, et aliis ciuitatibus et dominiis ab eo dissidentibus capitula pacis et concordiae, modum in pace viuendi concernentia iniisset; etiam cum illustri Florentinorum dominio, quod semper ipse, et sui praedecessores, Romani Imperatores, peculiari quodam amore prosequuti fuerunt, qui tum ab eo discordabat, et contra eum arma sumpserat, et ab obedientia et reuerentia sedis apostolicae discesserat, et sanctissimum dominum nostrum, cum quo dudum foedus percusserat, et eius illustrissimam familiam, de hac excelsa republica meritissimam, sine causa expulerat, seu recedere coegerat, in eum statum, a quo expulsus, vna cum eius familia illustrissima erat, admittere et restituere negabat, per diuersa media, honesta-*

*tis,*

*tis, et concordiae conditiones proponeret; sed particularium civium pertinacia, qui tunc rempubl. potius arbitrio, quam ratione regebant, et ad priuatum commodum magis, quam ad publicam vtilitatem, non sano consilio ducti, respiciebant, id assequi non posset; vt improborum malitiam expugnaret, et iniuste oppressis subueniret, coactus fuit, licet contra eius mentem, exercitum comparare, ac vestrum territorium armis inuadere, et obsidione ciuitatem vestram cingere, armis infestare, ac fame premere, quo respicientes, et sua errata cognoscentes, more pii patris, qui filios errantes saepe corripit, et reductos paterna charitate auidius complectitur, benignius exciperet. Licuit eidem serenissimo imperatori, si voluisset, ciuium vestrorum pertinacia exigente, vestram ciuitatem longa obsidione oppressam, fame supra modum laborantem, omnium humanarum fere rerum auxilio destitutam, facile superare, diripere, et expugnare; sed suae imperialis celsitudinis bonitate, ac eiusdem sanctissimi domini nostri intercessionibus delinitus, potius diuino auxilio, quam humano consilio, sui exercitus milites repressit, atque continuit, vosque tandem ad cor reuersi, vos errasse fatentes, saniori consilio ducti, ad capitula pacis, et concordiae cum sua Caes. Maiestate ac Serenissimo Domino nostro deueniistis, illaque obseruare et adimplere promisistis, et ad ea vos, et ciuitatem vestram obligastis. Et quia et indictis capitulis inter alia cautum fuit, quod idem serenissimus Dn. Imperator, infra certum tempus, modum et formam, quibus ciuitas ipsa in posterum regi et gubernari deberet, declararet et ordinaret, ideo his, et aliis rationibus, idem serenissimus Dn. Imperator ad ciuitatis vestrae, suae curae commissae pacificum ac tranquillum statum attendens, sanctissimi Domini nostri contemplatione, et intuitu, qui suam hanc patriam, paterna charitate prosequitur, et illius status ac honoris, et gloriae incrementa summis desiderat affectibus, pro indulgentia et remissione a Caesarea Maiestate, eidem reipublicae Florentinae facienda, et saepius praestita, per imperiale edictum, siue decretum, sigillo eius aureo, vt videtis, munitum, de suae imperialis celsitudinis suprema autoritate, et potestate declarauit, statuit, et ordinauit, Illustrissimam familiam*

*liam de Medicis et consequenter Illustrissimum Dn. Alexandrum Medicem, ducem ciuitatis Pennae, ex quâ familia* DVX *ipse descendit, ipsius serenissimi Dn. Imperatoris* GENERVM *dilectissimum, ad gradum, ad statum, honores, priuilegia, immunitates, et iurisdictiones, in priuilegio contentas, etiam, vti ante eorum vltimum discessum erant, recipiendos, et acceptandos, ac restitui, redintegrari, et plenarie reponi ac admitti debere, iuxta tenorem ipsius priuilegii et indulti.*

*Itemque idem Illustrissimus Dn. Alexander dux, sit, et esse debeat primus, caput, et praepositus in regimine dictae ciuitatis, et in quolibet officio, et magistratu eiusdem, ad illa regenda, et gubernanda, et alias prout, et sicut alias per legem municipalem dictae ciuitatis sancitum et ordinatum fuit.*

*Item quum idem serenissimus Dn. Imperator, omnia et singula priuilegia, indulta, gratias et concessiones, per suos praedecessores, diuos imperatores, Florentinae ciuitati, et eius illustri dominio concessa et facta, ac concessas et factas, ex* SVA *mera* LIBERALITATE *confirmauit, atque de nouo concessit, mandauit, iussit, et voluit, praemissa sic per eum declarata et ordinata, inconcussa seruari, et adimpleri, atque nulli liceat illa infringere, vel eis ausu temerario contrauenire, sub eorundem priuilegiorum* REVOCATIONE, *et aliis* POENIS *tunc expressis, ipso facto incurrendis, prout latius hoc, et alia in publico documento dicti edicti, siue decreti, quod idem magnificus dominus orator in suis manibus tenebat, et eisdem magnificis dominis Prioribus, et Vexillifero iustitiae caeterisque magistratibus ibidem congregatis ostendit, ac in manibus egregii viri domini Francisci Campani, primi Cancellariae dictae* COMITIS *tradidit, ac publice legi, ac intimari, illius formam fieri, et debitae exequutioni mandari petiit, latius contineri dixit.*

*Quibus sic peractis, et dicto instrumento imperialis edicti, siue decreti per Dominum Dn. Cancellarium publice lecto, et omnibus in eo contentis diligenter discussis et consideratis, praesentes domini excellentissimi Priores, et Vexillifer iustitiae, communicato inter se consilio, matura deliberatione praecedente, de eorum voluntate Dn. Benedictus* BVONDELMONTES

*Vexillifer iustitiae, nec non ipsius reipublicae Florentinae nomine, in haec, vel similia verba respondit: Primum omnipotente DEO gratias egit, asserens ciuitatem, et populum Florentinum, qui semper* CAESAREAE MAIESTATI MAGNOPERE TRIBVIT, *eiusque nomen sincera fide, deuotione, affectu, et religionis veneratione, semper coluit et colere intendit obseruatam rempublicam, ciuitatem et eius ciues e faucibus militum liberatos, pupillos, et viduas defensas, libertatem denique restitutam et demum, ob regiminis gubernii caput eiusdem, illustrissimum Dominum Alexandrum Medicem, qui possit eorum infirmitatibus mederi datum, quicquid ingenio, labore, opibus, industria, et potentia praestare possit, eidem Caesareae Maiestati perpetuum debere: dictumque decretum, ordinationem et declarationem et Caes.* EDICTVM, *grataniter,* NOMINE TOTIVS CIVITATIS *recipiendo, eundem illustr. Dn. Alexandrum ibidem praesentem, ac illustr. Medicorum familiam in particulari ac vniuersali, ad gradum, statum, honores, et priuilegia, immunitates et iurisdictiones, in priuilegio contentas, et in quibus ante eorum vltimum discessum erant, accepit, restituit, et reintegrauit et plenarie reposuit: ipsumque illustr. Dn.* ALEXANDRVM DVCEM, *et eiusdem serenissimi Dni Imp.* GENERVM *in primarium dictae ciuitatis, eiusdemque regiminis, ac gubernii, ac omnium ac singulorum officiorum, et magistratuum dictae ciuitatis caput, praepositum, et directorem acceptauit, et illum nomine totius ciuitatis et populi Florentini pro tali, et vt talem perpetuo tenere, habere, colere et obseruare velle asseruit, et ita ab omnibus teneri et reputari mandauit, iuxta continentiam, et tenorem dicti priuilegii: promittens praefato illustr. Dn. Alexandro praesenti, pro se ipso, ac eius heredibus, et successoribus, et eidem magnifico Dn. Iohanni Antonio Oratori praesenti et pro dicta Caes. Maiest. recipienti praedicta omnia et singula, ac omnia in priuilegio praedicto contenta, perpetuo attendere, et obseruare, et contra non facere, dicere, vel venire, per se, vel per alias submissas personas, sub quouis quaesito colore, et sub poenis, et aliis censuris in dicto praeinserto priuilegio contentis, et sub omni*

*iuris*

*iuris et facti renuntiatione, ad hoc necessaria pariter cautela: Et dicti Dn. vexilliferi sermone completo, magn. XVI. Gonfalonerii societatum populi Florentini - - - - - eorum respectiue locis assurgentes, et coram praefatis dominis, magnifico domino oratore Caesareo et illustrissimo duce Alexandro personaliter existentibus, in vnam et eandem animi sententiam conuenientes praedicta omnia, et singula per dictum magnificum Dn. Benedictum de Buondelmontibus, vexilliferi, prefate dicta, exposita, narrata et promissa, nomine dictorum respectiue laudauerunt, et approbauerunt, ac rata, et grata perpetuo habere, et tenere volunt, et velle se dixerunt, et praedictum imperatorium edictum, vt praemittitur, publicatum, et praeinsertum, et omnia contenta in illo, nemine dissentiente, approbauerunt, et illud gratum, et ratum, et firmum, se perpetuo habituros, nomine dictorum respectiue magistratuum et dictae reipublicae Florentinae promiserunt et conuenerunt: ac praedictum illustrissimum Ducem Alexandrum Medicem, ibidem praesentem et omnia super et infra scripta pro se et posteris suis iuxta formam, et dispositionem, producti imperialis edicti recipientem, vt* PERPETVVM CAPVT PRIMARIVM REGIMINIS, ET GVBERNII CIVITATIS, *et illius pacifici et quieti status, et praepositorum omnium et singulorum magistratuum eiusdem, in omnibus et per omnia, iuxta tenorem praeinserti priuilegii receperunt, admiserunt et acceptauerunt, promittentes, et solemni stipulatione conuenientes, tam praedicto magnifico Dn. Oratori Caesareo, quam Domino illustrissimo Dn. Alexandro de Medicis, et nobis notariis infra scriptis, vt profertur, et pro omnibus quorum interesse poterit, quomodolibet stipulantibus et acceptantibus, se perpetuo obseruaturos praedictum imperatorium edictum, et non venire contra illud quouis modo, sub poenis, et aliis in praedicto Imp. edicto contentis, et non obstantibus his, quae praedictus Serenissimus Imperator in praedicto suo Caes. edicto voluit non obstare, de quibus singulis tam praedictus illustriss. Dn. Alexander Medices, nec non praedictus vexillifer, mandauerunt, et petierunt praesens fieri documentum et instrumentum vnum, seu plura.*

*Acta et celebrata fuerunt omnia et singula scripta, in praedicto palatio praedictorum magnificorum Dn. Florentinorum, et in sala magna inferiori dicti palatii, anno incarnationis dominicae 1531. Indictione V. et die 6. mensis Aprilis P. sereniſſimi in Christo pätris et domini noſtri, Clementis diuina prouidentia P. P. VII. anno VIII. et praesente et assistente magna parte populi, nec non venerabilibus viris, domino Albizo - - - - - de Nobilibus Clerico Florent.*

*Ego Iohannes Iuliani de Durazinis, imperiali, apoſtolicaque autoritate notarius, et scriba praedictorum excellentiſſimorum dominorum libertatis ciuitatis Florentinae, praemiſſis omnibus, et singulis, quae in praesenti, et in nouem aliis similiter procedentibus cartis in hoc libello, simul lectis, et meo signo interlineatis, deſcripta sunt, dum sic agebantur interfui, et agitari, vt scripſi, vidi et auſcultaui, in superſcripto loco et demum de mandato magnifici Dn. Vexilliferi iuſtitiae et excellentiſſimorum Dominorum, requiſitus vna cum infra ſcriptis aliis cancellariis palatii, in praemiſſorum fidem, et robur, et teſtimonium, me ſubſcripſi, et ſignum meum conſuetum appoſui.*

## §. LXXXIII.

Certe, qui haec legunt et Imperatoris in Etruriae primariam ciuitatem ipſumque Alexandrum ſummum imperium non agnoſcunt, ii vel parum in ciuilibus rebus ſapiunt, vel oculis orbatos ſe dicant neceſſe eſt, vel denique media in luce obſtinatiſſimi ingenii ſint oportet. Verum tamen ipſum Carolum aduentantem vidit rebellis antea Florentia; vbi Alexander claues ciuitatis ei demiſiſſimo cultu obtulit; arcubusque triumphalibus conſtructis, et inſcriptionibus, quas refert Varchius, teſtatum fecit, SE POPVLVMQVE omnem in FIDE Imperatoris eſſe et obſequio, futurumque omni tempore: Carolo EQVVM ALBVM inſidente, qui ſummae poteſtatis ſignum ſemper fuit: praeclare hoc obſeruante LABVRERIO, Gallico auctore

auctore bonae frugis, qui Caroli VI. Galliarum Regis vitam accurate descripsit, interque alia obseruauit, ordinasse hunc Regem, ne Carolo IV. Parisios intranti equus albus praesentaretur summi imperii signifer, quo Imperatores vndique consueuerunt vehi, vbi summae potestatis culmen se habere existimauerant. Et vident mediocriter docti rerumque periti; vehementer erraturum fuisse Alexandrum, si fortunae suae conditorem, si victorem gentium, si debellatorem ferociae et plebeii furoris parem sibi potestate existimasset, vt qui propterea Florentiae se videndum praebuit, quo maiorem ciuibus libertatem imaginariam olim depereuntibus venerationem imprimeret, ostendendo, se esse illum, qui maiestatis reos in ordinem coegisset, iisque tandem singulari indulgentiae exemplo vtcunque subueniisset: cognituros insimul de criminibus genero obiectis, nisi tota ciuitas paullo ante demonstratum dedisset, se Alexandro fore contentum, quem sibi praefecisset magnus Carolus, Rabelaesio id rursum animaduertente loco iam dum excitato. Quid vero extorres et vndique oberrantes cogitauerint, ad scopum non pertinet; cum ii, qui capite sunt minuti, ad ciues amplius et populi classes neutiquam pertineant; sed curentur scilicet. Quin addo haud temere, adnotasse ipsum Varchium, Imperatorem subiectos sibi non admodum benigno vultu respexisse, dum nullum clementiae τεκμήριον iis indulsit, nullum singularis beneuolentiae signum exhibuit, sed ab omnibus priuilegiis, quibus ceteroquin non pepercere alii Imperatores, vacuos reliquit, vtpote pertinaces ac summa olim ferocia sibi repugnantes: in omnibus de cetero castellis, portubus ac locis munitis praesidia statuendo, donec de noui Principis fide et obsequio indubitatis argumentis certior securiorque redderetur.

§. LXXXIV.

Atque haec illa extrema fuit Florentinae reipublicae scena, hae commentitiae libertatis exsequiae: quas Guicciardinus, Iouius, Vlloa, Belcarius atque ipse Thuanus, Mammeranus, Ammiratus, Adriani aliique innumeri descripsere; ita vt oleum et operam perderet, qui fidem Pauli Iouii denuo sit vindicaturus, vt qui ceteris ad amussim consonat atque hac parte ne latum quidem vnguem a veritate declinat, quod iam ab aliis recte animaduersum scimus. Minimum ipse Belcarius, qui alioquin propter Iouii et Guicciardini Gallicae nationi infesta narrata suos historiarum libros condidit, similia recenset, nec libertatem Florentinis vllo modo relictam, sed seruitutem impositam scriptitat: ad exulum mentem et voces sine dubio rem depingens, verborumque simulacra et commenta reliqua vix attendens.

§. LXXXV.

Et in vulgus vero notum est, non diu hisce superuixisse deperditae vitae Alexandrum, quem Romae olim e Pasquini statua commonefactum narrat Rabelaesius, vt DATVM SERVET. Certe enim non seruauit, sed parricidali ictu et vitam et Principatum amisit, Laurentii videlicet scelere, quem Philippus Strozzius haud dubie in eius caedem incitauerat, sicuti rem verisimiliter exponit Balzacius in suis CONVERSATIONIBVS; ac multo clarius epistola, quae est inter *litteras Principum* RVSCELLI, scripta ad *Paulum de Tosso* a. 1537. Tom. III. quamuis nec Benedicto Varchio desint hac de caede singularia, ipsi Cosmo Duci accepta ferenda certo.

§. LXXXVI.

Nullum mihi dubium haeret, quin actum fuisset de Medicaeorum in Etruria potentatu, nisi Caesaris auctoritas liber-

libertatis immodicae basiatores in officio continuisset. Perperam quippe in aures certiora tenentium garriunt, Cosmum, Ioannis filium, ex altero Medicaeorum stemmate prodeuntem a populo Florentino esse libere ELECTVM: cum tamen exploratissimum sit, abhorruisse ciues fere omnes a PRINCIPATVS nomine; atque odio internecino in gentem Medicaeam fuisse inflammatos, tamquam libertatis suae interfectricem. Ipse Cardinalis de Cibo vehementer metuit, ne tota ciuitas nouarum rerum cupida in seditionem exardesceret. Vnde imperiales copias aduocauit, praefectos multis verborum lenociniis emolliuit, ac populum hac sola voce cum maxime perterruit: Carolum habere exercitus suos in propinquo, vt qui legem tulisset aeternum seruandam, nempe, vt Medicaei Florentini status Rectores essent, eoque proximior Alexandro inopino scelere extincto, ac maior natu, hoc est, COSMVS Iuuenis magnae spei in principatu succederet. Hinc factum, vt populus multum agitatus ac primarii in eo ciues ad saniorem mentem redirent, Principatum antea sublatum cupientes, in quibus ipse erat Franciscus Guicciardinus, celebris historiarum auctor, Carolo V. caeteroquin commendatissimus: cuius cogitata non solum Iouius refert, sed et Benedictus Varchius Lib. historiar. XVI. p. 632. Vnde maxime decipiuntur, qui de electione Cosmi tam magnifica in medium ferunt, quae libera certe electio nunquam fuit, sed potius leges Carolinae explicata obseruatio, atque obsequium imperatoris codicillis congruens, Cardinalis de Cibo facundia, inter varios animorum motus, excitatum ac firmatum: a quo desciscere, multi, nefarie licet, conabantur. Vnde vix mirum, placuisse vniuersa Caesari in Hispaniis tum temporis agenti et parricidium in generum suum admissum cum indignatione audienti: inprimis, cum is obseruaret,

etiam

etiam ventri fuisse prospectum, hoc est, partui futuro, si forte Margaretha Austriaca existeret grauida. Atque erat haec primaria velut conditio Cosmo iuueni ab Cardinale proposita, vt a Caesaris OBSEQVIO nunquam deflecteret, deinde Alexandri liberis naturalibus faueret, denique parricidam Laurentium ac perduelles omni seueritate persequeretur, iustitiamque omnibus pari libra administraret. Audiamus Varchium: *Non fu prima arriuato Cosimo dal Cardinale, ch' egli lo tiro da se, e lui nel verone, che riguarda in sulla piazza di San Lorenzo, e con molte buone parole gli fece ageuolissimamente promettere, che in caso ch' egli fosse eletto Principe, osseruerebbe giusta sua possa queste quattro cose: Fare indifferemente* GIVSTIZIA. *Non* SI LEVAR *dall'* AVTORITA DI CARLO QVINTO. *Vendicar la morte del Duca Alessandro. E trattar bene il Signor Giulio, e la Signora Giulia suoi figliuoli naturali.* Nec omittendum, Cosmi matrem, virilis alioquin animi feminam, vix ausam haec dare filio, aut suadere sine Imperatoris praescitu: vtut Cibous necessitatem in consilium vertit, sperans, nequaquam inique haec laturum Carolum, vt qui talia litteris olim praecepisset, ac successionis ordinem immutabili lege IPSE statuisset. Qua in mente is quoque perstitit, variis licet consiliis in diuersa actus, atque a multis sollicitatus, vt populare regimen Florentiae redderet, aut alium imperandi modum excogitaret. Sed spe lapsi sunt omnes. Firmatus est Principatus: Cosmus Dux dictus: renouatum ius imperii: Cisuentes Orator Roma Florentiam missus, vt Cosmum hunc Principatui initiaret, et, saluo Caesaris supremo domino, patriae praeficeret: proscripto et excluso Laurentio eiusque liberis ac posteris, vti moris est in crimine maiestatis, cuius Imperator Laurentium omnesque eius asseclas reos declarabat. Quod

sane

sane admodum peregrinum fuisset, si nihil Carolo iuris in Florentino tractu fuisset. Sed ipsimet magistratus aliter erant instructi, quando capite defectae ciuitati ad modum et praescriptum Imperatoris, euehendo Cosmum Medicaeum, sese prospexisse ingenue sunt confessi, donec is de fatali generi sui casu informatus vel aliter rem dispensaret, vel Cosmum a populo in omnem euentum agnitum auctoritate imperatoria confirmaret. Quod sicuti factum indicauimus; ita operae pretium est, vt Caroli lex singularis, qua Cosmi fortunae in tuto sunt collocatae, hoc loco compareat.

*Carolus Quintus Diuina fauente Gratia Romanorum Imperator Augustus ac Germaniae, Hispaniae, vtriusque Siciliae, Hierusalem, Vngariae, Dalmatiae, Croatiae, Insularum Balearium, Sardiniae, Fortunatarum ac Indiarum et terrae firmae, maris Oceani etc. Rex, Archidux Austriae, Burgundiae, Lotharingiae, Brabantiae, Limburgii, Lucemburgi, Geldriae, Virtembergae etc. Comes Habspurgi, Flandriae, Tirolis, Artesiae et Burgundiae, Palatinus Hannoniae, Hollandiae, Zelandiae, Ferreti, Kiburgi, et Zutphaniae, Landgrauius Alsatiae, Marchio Burgouiae et sacri Romani Imperii etc. Princeps Sueuiae, Dominus Phrisiae, Molinae, Salinarum, Tripolis et Mechliniae etc. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus et notum facimus tenore praesentium vniuersis etc. Ad alias rationes Imperialis Dignitatis, et muneris nostri, quo Dei optimi maximi voluntate fungimur, hoc vel imprimis pertinere arbitramur, vt* FIDELIVM *rebus ad otium et tranquillitatem redigendis et confirmandis assidua cura et perenni studio incumbamus, eorum praecipue, qui pro summa sua erga nos* DEVOTIONE *et* OBSERVANTIA *a nobis omnia expectare, suaeque dignitatis, nedum* ASSERENDAE, *verum etiam* AVGENDAE *et stabiliendae in nobis spem omnem ponere et posse et velle dignoscuntur,*

*scuntur, qua de re, cum excelsae Reipublicae Florentinae status aliquandiu et praesertim post fata Illustris quondam Alexandri de Medicis Ducis Pennae, affinis nostri, non nihil fluctuari, atque periculo expositus, et ob id praesenti ope iuuandus videretur, nos qui nihil antiquius, aut carius vnquam habuimus, quam eius status, cuius patrocinium iam olim susceperamus, ad augmentum et existimationem promouere, et rerum ipsius firmitati consulere, etsi aliis maximis Christianae Reipublicae negotiis eramus impediti, noluimus tamen deesse, quin ad depellendum motus et pericula ipsi statui et Reipublicae Florentinae impendentia et ad prouidendum ea, quae optimae illius administrationi congruere viderentur, omnem curam operam et diligentiam nostram conuerteremus: Itaque inter ceteros nostros in Italia et pacis et belli Ministros Illustri Ioanni Fernandez Manrique Marchioni ab* AQVILAR *consanguineo nostro et Mag^co fideli nobis dilecto Ferdinando a Silua Comiti a* CIFVENTES, *Consiliariis et apud Beatitudinem Pont. Max. Oratoribus nostris dedimus in mandatis, vt vterque, aut alter ipsorum nostro nomine hanc prouinciam susciperet, atque ea omnia ageret, tractaret, faceret et exequeretur, quae huic rei conuenire expedireque viderentur, quemadmodum ex ipsius mandati et facultatis nostrae serie inferius inserenda, quam hoc loco pro recitata haberi volumus, perspicere est, cumque alter ipsorum mandatariorum videlicet praefatus Comes a Cifuentes, inhaerendo eisdem mandatis et decreto per nos alias pro Ill. quondam Duce Alexandro, et familia Medicaea facto, virtute facultatis et auctoritatis sibi a nobis traditae, communis tranquillitatis et quietis praefatae Reipubl. Florentinae causa declarauerit Mag^cum nostrum et* IMPERII SACRI FIDELEM DILECTVM COSMVM DE MEDICIS, *vt proximiorem ex ipsa familia Medicaea, maioremque natu, et tam vigore memorati edicti,*

*edicti, seu Priuilegii nostri, et in eius executione, quam ex decreto publico vocatum, ad ipsum* PRIMATVM ET CAPVT *gubernii et status Reipublicae Florentinae adsciscendum fuisse, eundemque denique primatum ipsi* COSMO *deberi hac lege, vt excluso* LAVRENTIO, *nuncupato a Medicis,* QVI OB PARRICIDIVM IN PERSONA PRAEFATI *quondam Ill. Alexandri Ducis affinis sui perpetratum* LAESAE MAIESTATIS REVS *factus, condemnatus atque ipso iure expers omnis gratiae declaratus fuerat, et eiusdem Laurentii posteris vti inhabilibus et legitime priuatis, ipse Cosmus Medices durante sua vita sit, et esse debeat praedicatae Reipubl. Florentinae Gubernii Status, Domini et Regiminis* CAPVT *et* PRIMARIVS *ac sub eius praecipua cura et protectione ipsa Ciuitas et Respublica cum vniuerso eius statu et dominio regatur, manuteneatur et conseruetur, quamdiu ipse Cosmus superstes fuerit, eo autem vita functo ipsius filii haeredes et successores ex eius corpore legitime descendentes masculi, ita vt tam ipse Cosmus quam eius successores iam dicti possint et valeant ac debeant omnibus Magistratibus interesse ac praeesse,* vti RPIMARII *omnium praedictorum Magistratuum possitque ex* GRATIA *nostra vti et frui ea omni auctoritate, quae praefatus quondam Dux Alexander tempore sui obitus vti poterat et vtebatur, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, et quemadmodum haec omnia in ipsa declaratione supradicti Comitis mandatarii nostri, in qua praedictum mandatum et edictum nostrum inserta sunt, diffusius continentur quorumque omnium tenor sequitur in haec verba: Nos Ferdinandus de Sylua Comes de Cifuentes, magnus Vexillifer Castellae, Consiliarius Caesareus et in hac causa per sacram Caesaream Catholicam et Regiam Maiestatem specialiter delegatus, prout constat, Caesareo priuilegio cuius tenor talis est:* CAROLVS QVINTVS *et quae sequuntur. Nos*

*cupientes virtute facultatis et auctoritatis Nobis a Caesarea Maiestate concessa, quieti et tranquillitati huius excelsae ciuitatis et dominii Florentini prospicere ac consulere, quae ob infra scriptum obitum Ducis Alexandri quasi fluctuare videtur. Declaramus mentem Caes. Maiestatis fuisse et esse, hanc excelsam Rempubl. et protegere et fouere et quotidianis beneficiis et gratiis semper afficere, et ab imminentibus procellis et periculis illaesam seruare Illustremque Medicorum familiam, prout semper fecit, paterna caritate amplecti et sub sua protectione fouere et conseruare. Cumque ex Priuilegio concesso Illustri Duci Alexandro et Medicaeorum Familiae clare constet, quod post obitum Ducis Alexandri absque filiis decedentis proximior ex familia de Medicis ad Primatum et caput gubernii et Magistratuum omnium Ciuitatis Florentinae vocetur, ad quod* INIQVITATIS FILIVS LAVRENTIVS *de Medicis parricida, si huiusmodi Crimen laesae Maiestatis non commisisset, aspirare potuisset, et ob dictum crimen et parricidium iure laesae Maiestatis reus iudicatus et condemnatus, ac ipso iure priuatus ab omni gratia declaratus existit, ob quam causam Primatus praedictus ad Illustrissimum Cosmum de Medicis vt proximiorem ex familia de Medicis, et Maiorem natu deuolutus est, ac decreto publico et municipali edicto in executionem dicti Priuilegii, et iuxta intentionem sacrae Caesareae Maiestatis contentam in Priuilegio dicto ad Primatum et Caput Reipubl. status et gubernii Florentini ascitus fuit, cuius Priuilegii tenor dicitur esse talis:* CAROLVS QVINTVS *et quae sequuntur. Inhaerentes nos dicto Priuilegio, Caesarea, qua fungimur, auctoritate, dicimus et declaramus, Primatum Reipubl. status et gubernii ciuitatis et dominii Florentini deberi Ill. Cosmo de Medicis, filio Magnifici Ioannis de Medicis, exclusis penitus dicto Laurentio et eius posteris vt inhabilibus et incapacibus et legitime priuatis, quodque Illustris*

*ſtris Coſmus de Medicis ſit atque eſſe debeat Reipubl. Florentinae, gubernii, ſtatus atque Dominii et Regiminis caput, et primarius et ſub eius praecipua cura et protectione, ipſa ciuitas et Respubl. cum vniuerſo eius ſtatu et dominio regatur, manuteneatur, et conſeruetur, quamdiu praefatus Coſmus vixerit, eoque e viuis ſublato, eius filii haeredes et ſucceſſores ex ſuo corpore legitime deſcendentes Maſculi, ita vt tam praefatus Coſmus, quam ſui Succeſſores praedicti poſſint et valeant, ac debeant in omnibus Magiſtratibus intereſſe et praeeſſe tanquam Primarius et caput omnium praedictorum Magiſtratuum poſſitque, ex* CAESARIS GRATIA, *vti et frui ea omni auctoritate, qua Illuſtriſſimus quondam Alexander tempore eius obitus vti poterat et vtebatur, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscumque, in quorum omnium fidem et teſtimonium praemiſſorum Nos praefatus Ferdinandus de Sylua, Comes de Cifuentes nomine, quo ſupra, has patentes literas fieri iuſſimus, manu noſtra firmatas, ſigilloque noſtro munitas et ex noſtro ſecretario roboratas. Datum in ciuitate Florentina in Domo et Palatio Illuſtris familiae de Medicis in parte inferiori in Camera noſtrae ſolitae reſidentiae die duodecima menſis Iunii anno a natiuitate Domini 1537.*

*CONDE ALFEREZ.*

*NOs igitur omnia et ſingula per praefatum Comitem a Cifuentes Mandatarium noſtrum, vt praemittitur, noſtro nomine et auctoritate in vim mandati ac executione Decreti ſeu Priuilegii noſtri in beneficium publicae quietis praedictae excelſae Reipubl. Florentinae et pro ornamento familiae Mediceae facta et delarata plenum effectum ſortiri cupientes; atque eo quidem magis, quod id ipſum non ſolum praefatus* COSMVS, *verum etiam ipſa Respubl. Florentina ſe gratum habere declarantes, per ſuos ad nos Oratores Magnif. noſtros et imperii ſacri fideles Dilectos Auerardum Serriſtorum et Ioannem Bandinum, a nobis ſupplici-ter et cum omni ſtudio petierunt, vt praemiſſa confirmare et ra-*

*tificare dignaremur, id circo attentis praemissis et tam ipsius Reipubl. status Florentini supradicti* COSMI *et* FAMILIAE MEDICEAE *causa, quam cum ipsa Republ. et Statu paterno amore et beneuolentia prosequimur ac non modo fauere et protegere, sed etiam beneficiis augere et ornare semper ex certa scientia, non ducti errore, aut improuidentia, sed de omnibus praedictis plene edocti animoque deliberato ac sano et maturo procerum nostrorum et imperii sacri fidelium, dilectorum accedente consilio, praenarratam* DECLARATIONEM *atque alia omnia et singula per saepe nominatum Comitem a Cifuentes Mandatarium Nostrum, vt praefertur, acta, gesta, et superius enarrata, et inserta in omnibus suis punctis, clausulis ac articulis, partibus, et sententiis rata et grata habentes approbamus, ratificamus, confirmamus et auctorizamus de Imperialis nostrae potestatis plenitudine, et, quatenus opus est, ea omnia de nouo decernimus, declaramus et constituimus, ac Imperialis auctoritatis et decreti nostri robore et firmitate munimus, decernentes ea omnia et singula valida et firma et perpetua censeri intra extraue iudicium plenumque sortiri effectum, ac inuiolabiliter obseruari debere. Promittentes in verbo nostro Caesareo et Regio nos quoque ea omnia et singula inuiolabiliter obseruaturos et non contra venturos vllo ingenio, colore, seu praetextu, omni dolo et fraude semotis; supplentes etiam ex praedicta nostra scientia et potestatis plenitudine omnes et quoscumque defectus tam iuris, quam facti et solennitatis cuiuscumque omissiones, qui, quaeue in praemissis interuenissent quouis modo, seu dici vel allegari possent, non obstantibus quibuscumque legibus, statutis, decretis, ordinationibus, consuetudinibus, priuilegiis, concessionibus aut aliis in contrarium facientibus quibuscumque, etiam si talia forent, de quibus in praesentibus specialis mentio fieri deberet, nos enim eis omnibus et singulis, ac si specifice et de verbo ad verbum hic inserta et expressa essent, derogamus, et derogatum esse volumus et decernimus scientia, auctoritate et potestate supra dictis,* NOSTRA TAMEN ET IMPERII SVPERIORITATE ET IVRIBVS SEMPER SALVIS. *Nulli ergo omnino hominum liceat has nostras violare, aut eis quouis ausu temerario contraire, aut contra praemissa, aut praemissorum aliquod, siue intra, siue extra iudicium facere,*

*cere, aut venire, si quis autem secus attentare praesumpserit, nostram et imperii sacri indignationem grauissimam ac* POENAM *mille Marcarum auri puri Imperiali Fisco seu aerario nostro irremissibiliter applicandam se nouerit incurisse harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum et Bullae nostrae aureae appensione munitarum. Datum in oppido nostro Montissoni die vltimo mensis Septembris Anno Domini 1537. imperii nostri decimo septimo et Regni nostri 29.*

CAROLVS

Ad Mandatum Caes. et Cath. Maiest.

V. Perenot. Obernburger.

## §. LXXXVII.

Nemo credidisset, Cosmum hunc, Caesaris beneficio e ciue ad tantam amplitudinem euectum, vnquam appeturum maiora, aut gratum animum depositurum erga eius successores, quibus sane Principis fastigium debuit. At victis ad Montemurlum exulibus iisque maximam partem captis deletisque, Senensibus quoque oppressis, callidissimoque consilio Hispanis ita sibi conciliatis, vt ipsam ciuitatem fiduciario nexu sibi permitterent, nihil profecto restabat, quam vt vel regium decus, vel magni Ducis peregrinum nomen consequeretur. Et aiunt multi, Pium V. Pontificem animo agitasse maiora, decernendo regium Cosmo diadema in Etruria; deinde vero mutato consilio insigni diplomate magnum eum Etruriae Ducem creasse ob insignia vt ferebatur in Ecclesiam merita. (*) Non est mirandum,

(*) Auxiliares enim copias Carolo IX. Galliarum Regi contra reformatae religioni addictos, instigante Pio V. miserat simulatque illi centum aureorum millia mutuum dederat: neutiquam hoc dissimulante Natali Alexandro *Hist. Eccles.* Tom. VIII. p. 60.

dum, tum Italiae Principes, tum Teutoniae ſummos Electores, tum ipſum Imperatorem Maximilianum II. vehementer eſſe commotos, Coſmum, vtut affinitate iunctum, tam ambitioſa ſectari et gloriae ſtimulis percitum ad Petri ſucceſſorem defeciſſe, cuius non eſt, diſpenſare his in terris dignitates, ſed praeparare potius animos ad honores in futura vita capeſſendos, qui nullo tempore intereunt, nullaque aetate conſeneſcunt. Summatim rem complectar: negavit Maximilianus, Coſmum maiorem dignitatis praerogativam iniuſſu ſuo in Italia obtinere poſſe: imperio eum ſubiectum; nec fas eſſe Pio inuolare in iura regni: idque apud Pontificem non ſolum, ſed et alios Principes ac Reges Caeſarei oratores diſertis verbis teſtabantur. Atque tunc vero Coſmus, qui iam Pontifici ſeſe regio fere apparatu praeſens obtulit, nouoque honori ſolenni ritu inauguratus eſt, omnem mouere lapidem occipiebat, animare viros doctos, vt libertatem Principis Florentini defenderent, multa iactans de veteri Republica, quae ipſum elegiſſet pro arbitrio: adiectis quoque variis ac multis de Romanorum Praeſulum in creandis Regibus ac Principibus ſumma auctoritate, Borſum Ferrarienſem in medium adducens, quem Paulus II. Ducis titulo decoraſſet: eſtque vix negandum, ea, quae hodie comparent argumenta, tum temporis eſſe iam audita, ſed inſimul etiam exploſa et excuſſa. Neque enim Maximilianus II. Thuano teſte, aliisque innumeris ſcriptoribus, a propoſito ſuo auertebatur, probe gnarus, Fridericum III. multum repugnaſſe Pauli II. auſibus Borſum Ferrarienſem Ducem inſignientis; fuiſſeque hoc facti, vnde nihil Pio V. facultatis ac iuris adnaſceretur: quidquid etiam in contrarium differeret Cardinalis Commendonus per Auſtriam in Poloniam contendens, multa Imperatori in ſpeciem pollicitus, Regumque barbarorum a Pontificibus huic

muneri

muneri initiatorum exempla producens, quibus Maximiliani animum flecteret, et ad Cosmi partes quantocius inclinaret. Sed vsſit inter alia hoc maxime ſapientiſſimum Imperatorem, quod, cum Coſmus argumentum dignitatis ab ipſo petens repulſam tuliſſet, ad Pontificis pedes ſeſe proluerit, duntaxat, vt ambitioni ſatisfaceret immenſae; imperiique iura poſtea oppugnans oſtenderet, ſe auro, opibus, potentia nemini ſecundum in plena libertate vitam agere: Pio V. cum primis ſtimulante, quippe qui Maximilianum peculiari ratione infenſum ſeruabat, quod Tridentina decreta non penitus approbaret, nec aequo animo toleraret, imperii, quos vocant, *receſſus*, ac leges in indicibus purgatoriis comparere, nec generi Caroli IX. ſaeuitiam in nouae religionis ciues truculentis exemplis exercitam laudaret. Verum tamen obſeruandum, nec ipſum Pium V. iura imperii prorſus auſum conuellere, in decreto bullato IMPERATORIS *et Regum ſuperioritatem, et iurisdictionem excipiens; quanquam deinde Oratori Caeſaris intercedenti reponeret audacter: Quo iure igitur vel Imperatores ſint, vel dicantur, niſi auctoritate* APOSTOLICAE SEDIS? Quae verba, inquit Natalis Alexander *Tom. VIII. Hiſt. Eccleſ.* p. 61. OMNIVM GVSTVI NON SAPIVNT: immo certe nec Germaniae ſummis Principibus, nec auguſtiſſimo Imperatori ad guſtum eſſe poterant, vtpote acerba, et falſa, morique veteri penitus contraria. At magis eſt, vt, quid ſcripſerit Maximilianus Coſmo, videamus, ab omni aliorum ſcriptorum auctoritatibus abſtinentes, ne *Defenſor* pro more Thuano, Natali Comiti, Langueto, qui Maximiliani II. annales apud Schardium occurrentes condidiſſe fertur, dicam ſcribat, ſed ex ipſius Imperatoris litteris percipiat, quae is obiecerit Coſmo, remotaque omni iracundiae ſpecie, moderatiſſime inſinuauerit.

*ILlustrissime dux, affinis, et princeps charissime. Cum nobis aliquoties per dilectionis tuae oratorem in curia nostra residentem expositum fuerit, dilectionem tuam scire cupere, quid illam de praetensa magni Ducatus Hetruriae inauguratione facere velimus, nos, etsi accepto praeteritis mensibus sanctissimi Dn. Pontificis responso, ad factam longo ante tempore coram sanctitate sua, et reuerendorum in Christo patrum S. R. E. cardinalium collegio insinuationem protestationis nostrae, contra eiusmodi inaugurationem praeteritis mensibus, in arce nostra regia Praga solemni modo interpositae, ad sanctitatem suam ea scripto referri curauimus, quae nostra ac imperii sacri necessitas, hoc loco exposcere visa est, adeoque cum ista, cum sanctitate sua, vtpote a qua asserta illa inauguratio proficiscitur, agere statuerimus; nihilominus tamen ad praedicti dilectionis tuae oratoris instantiam praetermittere noluimus, quin dilectioni quoque tuae animi nostri voluntatem benigne, ac eo candore, quo in huiusmodi et quibuscunq; aliis negotiis versari consueuimus, aperiremus. Inprimis igitur dilectioni tuae illud in mentem vocandum occurrit, quod sicut sanctitati eius nullo iure licuit tale quid de Hetruria statuere, atque disponere, sic certe dilectionem tuam, tanquam nostrum, et imperii sacri* VASALLVM, *longe minus decuit, oblatam dilectioni tuae nouam illam dignitatem (si tamen dignitas dici debet, quae indigno modo ac nulliter fit) insciis nobis, vtpote Romanorum imperatore, cui in Hetruriam* SVPERIORITATIS *ius competere, efficacissimis rationibus, et quidem magna ex parte veteribus, et recentibus inuestituris probari potest, acceptare, ne dum quoad Florentiae statum, nostram illam ac sacri imperii superioritatem, iurisdictionem, et authoritatem non solum in dubium vocare, verum etiam inani quondam libertatis praetextu prorsus negare. Nam cum fieri nequeat, quin dilectio tua memor sit, quo pacto, et quas ob causas, diuus quondam Imperator Carolus quintus etc. Dominus, patruus, et socer noster charissimus, augustae memoriae, post quam Florentiae ciuitatem, quae a maiestatis suae, et sacri imperii deuotione defciuerat, longa obsidione cinctam ad deditionem adegisset, ac imperatoriae potestatis plenitudine, et inter alia eam quoque obrationem, quo deinceps in maiestatis suae, et sacri imperii fide, et*

deuo-

*deuotione, perpetuo maneat, etc. quondam ducem Alexandrum, reipublicae illius Florentinae gubernio praefecerit: eadem ciuitate in gratiam recepta, ac in specialem maiestatis suae, et sacri imperii protectionem, et saluaguardiam assumta, nec non confirmatis illius priuilegiis, iuribus, et exemtionibus, quae a maiestatis suae antecessoribus Romanorum Imperatoribus, et regibus, ac sacro Romano imperio, antequam a deuotione ista recederet, obtinuerat; ac denique eadem superioritate sibi, ac sacro imperio ita reseruata, vt, si forsan respublica ei institutae a Maiestate sua regiminis formae contraueniret, tanquam a Maiestate sua et sacro imperio rebellis, ingrata et inobediens, concessa ipsi remissione, indulto, confirmatione et priuilegiis etc. priuata, atque vniuersum eius dominium ad sacrum Romanum Imperium deolutum cenſeri et esse debeat, etc. quae quidem omnia eiusdem remissionis, institutionis, et creationis literis, expressis verbis continentur. Cum dilectio autem tua, praefato duci Alexandro, eodem plene pacto successerit, sane dilectionem tuam, vel eorum omnium parum memorem fuisse credendum, vel certe* ABSVRDVM *est, id a dilectione tua negari, sine quo nec praedecessoris sui, ducis Alexandri erectio, ne dum dilectionis tuae, vigore eiusdem institutionis ad se delata successio, valida esset, atque subsisteret. Quae cum sic se habeant, ac proinde nos dilectionis tuae nulliter factum in magnum Hetruriae ducem creationem ob subsecutam paulo post coronationem, absque grauissima nostrae Caesareae, ac successorum nostrorum, sacrique Romani imperii authoritatis, iurium, et praeeminentiae diminutione nulla omnino ratione ferre queamus, praedicto sanctissimo domino Pontifici hanc nostram mentem, sacrique adeo imperii necessitatem memorato scripto fusius declarauimus: eundem obnixe rogantes atque monentes, vt hac in re talia conuenientia, opportuna et efficacia remedia providere velit, quo sublato graui isto ac intolerabili praeiudicio, nobis ac sacro imperio, nostra authoritas, praeeminentia, dignitas et iurisdictio, salua, integra, et illaesa maneat,* RETRACTANDO *scilicet ea, quae sic a sanctitate sua illegitimo modo instituta sint. Et quia dilectio tua ex iis omnibus satis intelligit, id, quod dilectionem tuam scire cupere, eiusdem orator aliquoties nobis retulit,*

*de dilectione tua sic nobis plane pollicemur, dilectionem tuam se huic animi nostri declarationi, vt quae ipsa aequitate nititur, accommodaturam, ac non solum sanctitatis suae retractationi se facile submissuram, verum etiam, vbi forte sanctitas sua in eo se difficiliorem exhiberevelit, eidem sanctitati suae, vt nostris monitis locum faciat, suasorem fore; vel saltem ipsam, et dilectionem tuam nouo illo, praetensi magni ducatus titulo, et nomine, quaeque praeterea eidem adhaerent, se vltro prorsus abdicaturam esse, quo sic, negotio isto in pristinum statum restituto, diuersarum dissensionum, scandalorum et turbarum, quae hac ex re facile oriri possent, praescindatur occasio, quod vti dilectionem tuam facturam esse omnino confidimus, sic dilectioni tuae certo persuasum cupimus, nos in aliis omnibus, quae citra nostrae ac sacri imperii, iurium, et authoritatis praeiudicium, et diminutionem fieri possunt, dilectionis tuae, ac eiusdem Filii illustr. Florentiae principis, sororii et principis nostri charissimi, dignitati et commodis promouendis, pro singulari et beneuolentiae et propensionis studio, quo vtramque complectimur, nusquam esse defuturos. Quod superest dilectionem tuam diu, recte, feliciterque valere, optamus. Datum in oppido nostro imperiali Dunckelspuhl 26. Dec. 1570.*

## §. LXXXVIII.

Et quamuis vero Cosmus non multum hisce admonitionibus tribueret, sed iure a Pontifice facta omnia defendens, ficulneis argumentis libertatem a Rudolpho Habspurgico per Florentinos emptam, contra sapientiorum scriptorum suffragia et certissima in contrarium argumenta adseueraret; neutiquam tamen is, quod notandum, sibi ipsi satisfacere poterat, meliora vtique edoctus, ac propriae conscientiae rationibus conuictus. Hinc enim est, quod Maximiliani II. fores sine intermissione pulsauit, perque oratores aliosque Principes ac Reges rem suam agi curauit, confirmationem noui honoris a Caesare expetens, qua sine varias sibi deuorandas molestias videbat, ac controuersias cum Italiae Principibus subeundas haud pauciores: vt de bello

bello fileam toti Italiae impendente, nisi Turcarum furor eum a proposito abstraxisset, inprimis cum et Philippus II. Rex Hispaniarum intercederet, nec tam inuidendum δεῖγμα subuasallo suo COSMO permittendum censeret Admodum enim παράδοξα talia adserta multis sunt visa, Cosmum Senas in subfeudum accepisse a Philippo II. eumque nunc ex Duce Senensi illico fieri magnum Ducem. Maximilianus vero probe tenebat, Cosmum, secundum legem Augustae Vindelicorum latam et priuilegium Medicaeis datum, repugnare Pontifici debuisse; illum vero arbitrio illius nunc affectare dignitatem regiae proximam. Sine priuilegio quippe ad clauum Reipublicae is plane sedere nequiuisset; multo minus Etruriae, seu Florentini Ducis titulum capessere. Vnde facillime confit, iure egisse Imperatorem, dum Pontificis factum improbauit, totamque amplificationem dignitatis a non competente Domino effectum recte adfirmasse: quanquam Pius V. pro amico aliquid audendum iudicauit, defendendum postea precariis argumentis, vt sic Atestino Principi ac Ferrarienſi Duci praeferretur Cosmus nouo homini cedere nolenti.

## §. LXXXIX.

In eo statu res erat, cum Pius V. ab hac luce discederet; Cosmo interea per Concinum suum frustra Imperatorem fatigante, constanter adseuerantem, tum demum Medicaeum maiorem dignitatis gradum consecuturum, si Gregorius XIII. aboleret Pii V. antecessoris inuisum factum: quod tamen is, Cardinalium suorum consilio, pari constantia facturum se negabat. Vnde ipse Cosmus animam prius efflauit, quam res haec difficilis ad colophonem perduceretur; eoque Francisco filio relictum, vt pacem hac parte, interuentu Electorum, in conuentu imperii Ratisbonensi CIↃ IↃ LXXV. componeret, ac magni Ducis tandem

elogium a Maximiliano affine referret: diplomate magnifico Viennae anno sequenti CIↃIↃ LXXVI. Viennae propterea confecto, quod integrum subiicimus nuperrime Vienna transmissum:

*MAximilianus secundus etc. Ad perpetuam rei memoriam, recognoscimus harum serie literarum, ac vniuersis et singulis notum facimus, quemadmodum vnicus ille parens rerum, ac mundi opifex, cum mortale hominum genus, coelesti ciuitate donat, id ipsum non promiscue quidem, neque citra delectum facit, sed vt vel virtus, vel officia vniuscuiusque exposcunt, et merentur, infelicissimas quemque diuorum classes, et ordines digerit, atque collocat, alterumque alteri praefert; sic nostrarum quoque partium esse plane cognoscimus, terrestre hoc nobis concreditum imperium ad caeleste illud quam simillime referre, nostraque et sacri Romani imperii beneficia, insignia et honores, pro vniuscuiusque dignitate et meritis, distribuere, ac impertiri. Quo sane diligenter respexerunt diui olim Praedecessores nostri, Romanorum Imperatores, et Reges, omni cura adhibita, ne suum a bene meritis officium desiderari paterentur, quod intelligerent illud ad sustinendam, amplificandamque gloriam, et existimationem suam maxime pertinere. Hinc est, quod praeclarissimo more ab iisdem diuis imperatoribus, maioribus nostris accepto, nihil antiquius, nihil charius vnquam habuerimus, quam Principes de Caesarea maiestate nostra, sacro imperio, inclytaque Domo nostra Austriaca, ac tota denique republica christiana optime meritos, maximorum honorum praemiis prosequi, et ornare, vt intelligant virtutis egregia facta, excellentiaque merita nobis esse charissima, ac tum ipsi, eorumque descendentes et posteri ad virtutem ac de nobis sacro imperio, inclytaque domo nostra Austriaca bene merendum magis etiam excitentur, tum alii etiam ad eadem studia sectanda alliciantur et inflammentur.*

Eius

*Eius vero benignae ac piae mentis nostrae declarandae amplam et idoneam nacti sumus occasionem, in exornando illustr.* FRANCISCO *Medices, reipubl. Florentiae, et Senarum duce tertio. Quem quidem, tum propter animi sui egregias excellentissimasque virtutes generisque ac familiae Medicae, ex qua in vtraque republ. tam Ecclesiastica, quam politica multi insignes, praestantissimique heroes prodiere, nobilitatem, cum luculenta et vtilia obsequia, tam nobis, quam antecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus, et Regibus, ac praememoratae inclytae domui nostrae Austriacae hactenus praestita, nec non maxima in vniuersam Rempublicam christianam merita, plurimi semper fecimus, ac singulari beneuolentiae affectione prosecuti sumus, adeo quod in singularis, ac vere sinceri amoris, clementiae, et benignitatis nostrae testimonium, affinitatem secum iniuimus, et vtramque familiam eo vinculi genere, quod idem est omnium arctissimum atque sanctissimum, astrinximus, ipsumque in sororium nostrum cooptauimus. Cum igitur eundem ducem* FRANCISCVM, *cuius in nos sacrumque Romanum imperium, praeclarae, propensaeque voluntatis studium, nec non in administranda, moderandaque iustitia ac subditis suis recte, felicioterque regendis singularis religio, virtus atque prudentia, nobis iam diu perspecta, cognitaque est, dignum omnino censeamus, quem vna cum successoribus suis, illustriori quodam dignitatis et honoris loco collocemus, sicque insigne aliquod nostrae in dilectionem suam propensissimae voluntatis documentum posteris relinquamus, atque insuper, praeter memorata, ipsius ducis* FRANCISCI *obsequia, virtutes atque merita, generis item nobilitatem, atque splendorem, atque arctissimae affinitatis necessitudinem animo clementissimo repetamus, quae nobiscum ab aliquot annis per illust. Cosmum Medicem (cuius etiam in diuos quondam imperatores) Carolum quintum et Ferdinandum, dominos, patruum*

*soce-*

*socerum et genitorem nostros charissimos, augustissimae memoriae, ac nos ipsos, insignium meritorum grata apud nos extat memoria, eoque postea defuncto, per ipsum filium et successorem suum praefatum Franciscum Medicem duces de magno Hetruriae ducatu acta sunt, omnibusque tum sacri Romani imperii principibus electoribus in maturam deliberationem deductis, tam supra memoratis, quam aliis iustis, et rationabilibus causis impulsi, motu proprio ex certa scientia nostra, animo bene deliberato ac sano, nostrorum et sacri imperii fidelium accedente consilio, ea, qua fungimur Caesarea authoritate, ac de nostrae imperialis potestatis plenitudine, in nomine domini saluatoris nostri Iesu Christi, a quo omnis principatus et honor promanat, eundem illustr.* FRANCISCVM *Medicem ducem, eiusque descendentes in infinitum, masculos legitimos et naturales, ac illis deficientibus, vel non extantibus, proximiores masculos ex Medicea familia, in perpetuum, vt supra omnes tam successuros ordine ac iure primogenii, in* MAGNOS DVCES *Hetruriae, eorum locorum, quae ibidem ipse dux Franciscus possidet, seu ad eum pertinent, et ipsam prouinciam respectiue, ad propriam dignitatem, nomen et titulum* MAGNI DVCATVS, *re ipsa, et cum effectu eueximus, exaltauimus, sublimauimus, et amplificauimus: ipsumque Ducem* FRANCISCVM *ac dictos successores suos eiusdem prouinciae Hetruriae,* MAGNOS DVCES VERE *creauimus, fecimus, constituimus, extulimus, et declarauimus, aliorumque cuiusuis prouinciae magnorum ducum numero, coetui et consortio realiter aggregauimus in eorumque ordinem ac gradum pleno iure cooptauimus. Atque insuper omnia, et singula priuilegia, iura, indulta, dignitates, libertates, honores, immunitates, titulos, gradus, honorantias, facultates, authoritates, praeeminentias, ac omnes et quascunque gratias, quibus alii,* VERE ET PROPRIE *prouinciarum magni Duces, et Principes, quauis dignitate praefulgentes, ac quacunque potestate fungentes, de iure vel consuetudine vtuntur, potiuntur, et gaudent, seu vti, frui, potiri et gaudere possunt, et debent, et in futurum quomodolibet poterunt, vel soliti fuerunt, illis perfecte tribuimus, dedimus, tradidimus, atque concessimus, prout per praesentes eadem scientia et authoritate erigimus, exaltamus, sublimamus,*

*mamus, amplificamus, creamus, facimus, aggregamus, cooptamus, damus, concedimus, tradimus, et cum effectu amplissimo tribuimus, decernimus, decernentes, et hoc nostro Caes. edicto firmissime statuentes, vt posthac perpetuis futuris temporibus dicta prouincia Hetruriae, vna cum suis ciuitatibus, terris, castris, oppidis, arcibus, fortalitiis, villis, locis, et iuribus, ac vniuersis et singulis pertinentiis ab eodem illustrissimo duce* FRANCISCO *possessis, seu ad eum quomodolibet pertinentibus, pro vero magno ducatu habeatur, teneatur, reputetur, tractetur, et sic idemque magnus Dux* FRANCISCVS, *eiusque praefati descendentes, et posteri, in magno isto ducatu successuri, ordine et modo qui dictus est, ab hac hora in perpetuum sint, inscribantur, dicantur, appellentur et nominentur, magni duces Hetruriae, ac vt alii cuiuscunque prouinciae magni Duces honorentur, tractentur, et reputentur, ab omnibus et singulis, cuiuscunque gradus, status, ordinis, conditionis, et dignitatis extiterint, tam in scriptis, quam viua voce, aut alias quotiescunque, et quomodolibet eorum mentio erit facienda, aut eorum ratio habenda fuerit, omnibus et singulis praenarratis, priuilegiis, titulis, honoribus, libertatibus, gratiis et effectibus tam de iure, quam ex consuetudine, in genere, vel in specie ipsis magnis ducibus competentibus in sessionibus, celebritatibus, pompis, ceremoniis et actibus publicis vel priuatis, in quibuscunque locis, vbique terrarum, etiamsi aliqui alii magni duces,* SIMILESQVE *principes, vt supra praesentes fuerint, vti, frui et gaudere possint et debeant, non quidem ad illorum instar, et similitudinem, sed pariformiter, vere, proprie, et absque vlla prorsus differentia, non obstantibus quibuscunque constitutionibus, legibus, ordinationibus imperialibus, ac prouinciarum, ciuitatum, et locorum quorumlibet statutis, et consuetudinibus, etiam iuramento confirmatione imperiali, vel quauis firmitate alia roboratis: priuilegiis quoque, indultis, et diplomatibus imperialibus, quibusuis personis etiam ducibus, quibus forsan imperiali, aut quauis alia authoritate concessum sit, quod priuilegiis, fauoribus, praeeminentiis et gratiis,* AD INSTAR MAGNORVM DVCVM, *perinde ac si ipsi magni duces realiter, et cum effectu essent, vti et gaudere possint in genere, vel in specie, sub quibuscunque tenoribus,*

*ribus, et formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriis, et quantumcumque efficacissimis clausulis et decretis quomodolibet concessis, confirmatis vel innouatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque tenoribus specialis, expressa, individua ac de verbo ad verbum mentio seu quaeuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda esset, eorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, (illis alias in suo robore permansuris) hac vice duntaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, totaliterque et latissime derogatum esse volumus, et decernimus: caeteris contrariis quibuscunque non obstantibus, supplentes ex eadem potestatis plenitudine, et certa scientia, omnes, et singulos defectus, tam iuris, quam facti, si qui forsan in praemissis comperti fuerint; Volumus tamen, quod haec concessio minime debeat praeiudicare iuribus cuiuscunque praetendentis dominium, super dictis locis, et vt porro salua sit* SVPERIORITAS NOSTRA, SACRI IMPERII, *ac cuiuslibet alterius, vtque omnia et singula interpretentur in fauorem dictae familiae Medicae. Nulli ergo hominum liceat hanc nostrae erectionis, exaltationis, sublimationis, amplificationis, creationis, dispositionis, declarationis, concessionis, decreti, voluntatis, derogationis, suppletionis, et gratiae paginam infringere, vel ei, quouis ausu temerario, contraire: si quis autem id attentare praesumpserit, praeter nostram et imperii sacri indignationem grauissimam, poenam mille marcharum auri puri, pro dimidia fisco, seu aerario nostro imperiali, reliqua vero parte iniuriam passis irremissibiliter applicandam, se nouerit ipso facto incurrisse, harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, et bullae nostrae aureae appensione munitarum.*

*Datum in ciuitate nostra Viennae die vigesima sexta Ianuarii anno domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, regnorum nostrorum Romani decimo quarto, Hungarici decimo tertio, Bohemici vigesimo septimo.*

## §. XC.

Quibus perlectis nunc demum Thuanus, Natalis Comes, Sambuccus, Mucantius, aliorumque diaria euoluenda sunt, legen-

legendi Manuccius et Cini Cosmi vitam eiusque res gestas adulatorio saepe stilo describentes, qui hac in caussa copiosi sunt, indeque Thuanus exponendus, qui magnum Ducem Franciscum BENEFICIARIVM imperii nominat. Quod nominis minime significat, eum esse vasallorum imperii numero adscriptum; sed potius, illum imperii atque imperatoris beneficio demum tam nobilem titulum maiorisque dignitatis honorem accepisse. Patet id quadantenus e Petri Victorii oratione funebri in laudem Maximiliani II. Florentiae recitata, vbi inter alia: *Probitas etiam*, inquit, *optimi* RRINCIPIS, *perpetuaque et constans voluntas in eos ornandos, quos ob eximias ipsorum animi dotes, honestaque facta, praemio et honore dignos iudicabat, in eo apparuit, quod cum saepe perspexisset egregium animum* COSMI, *nostri Ducis, erga imperatoriam maiestatem, nec vllum officium ipsum vnquam praetermisisse, quod ad fidem obsequiumque in Romanos Imperatores declinandum pertineret; multaque saepe audisset de summo consilio ipsius, et singulari sapientia atque iustitia in republica, quam regebat, administranda, vt de vera quoque imagine ipsius, aemuloque paternarum virtutum,* FRANCISCO *filio, non cessauit vnquam in omni sermone ipsos dilaudare et testimonio suo dignitatem gloriamque ipsorum augere: nec verbis tantum, et oratione contentus fuit, sed factum quoque addidit, quod valde clarum hanc, et illustrem familiam magis adhuc decorauit, et quod habuit summum pretium ei persoluit, cum optimi parentis optimum* FILIVM *Magnum Etruriae Ducem creare voluit. Ornarat sane Pius V. Pont. Max. ob magna ipsius merita erga Romanam Ecclesiam, et vniuersum Christianum populum, eodem gradu honoris Cosmum nostrum, et Magnum Etruriae Ducem appellari voluerat, statueratque, vt quemadmodum ille ditionis amplitudine, virtuteque populorum, qui ipsi parerent, atque opibus, magnus erat,*

*ita etiam merito, iureque bono, magnus vocaretur: Vnum igitur hoc eorum est, quo compensare* MAXIMILIANVS *ex parte voluit officia multa, vel merita potius in se variis temporibus collata.* Mirifica hoc loco oratoris argutia deprehenditur. A Pio purat, Cosmum eo gradu honoris esse ornatum: Franciscum vero ab Imperatore Maximiliano II. id dignitatis esse plene consecutum, cuius ille sororem Ioannam in matrimonio habebat. Sicuti vero a Francisco hodierni Duces magni ortum ducunt; ita fas fuisset quoque, vt ne ab alio recentioris saeculi scriptores, quam Maximiliano Teutoniae Rege atque Imperatore decus ac magnitudinem Ducis sui deriuassent; cum, quod Pius V. Pontifex suscepit, vel nullum fuerit iure, vel ipsorum quoque iudicio admodum controuersiosum, nec eo exitu coronandum vnquam, quo Imperatoris voluntate ac nutu plerasque lites de gradu praerogatiuo inter alios Principes intelligimus finitas. Dico *plerasque.* Neque enim non est non fatendum, existimasse Electores a. 1582. Maximiliani beneficium, Francisco Duci magno concessum, nihil derogare iuribus Sabaudiae Principis, qui Germanorum ac speciatim Saxonico sanguine esset cretus, rogantes simul, vt priorem in AVLA et CAPELLA sua locum veluti vicario sacri imperii generali vndique, vt habuit olim, permitteret. Quod decretum quemadmodum Samuel Guichenonius Sabaudiae principis historicus in *Codice diplomatico* refert suo; ita Fürstenerius de *Supremata* cap. LII. existimat, a plerisque Germaniae principibus eum semper habitum praestantiorem, aut saltem ab aliquibus Florentino parem. Quod vero Maximilianus II. in omnibus ius et SVPERIORITATEM sibi et imperio perspicue reseruauerit, id non solum ex dictis tabulis constat; verum etiam ex scriptoribus eius aeui pro explorato habendum.

§. XCI.

## §. XCI.

Quam an agnouerit hodiernus Dux M. Cosmus III. iis vix erit dubium, qui REGALIS ALTITVDINIS speciosum nomen ac regios fere honores a praeglorioſae memoriae LEOPOLDO eum impetrasse bene intelligunt: adeo vt actum agerem omnino, si Pisarum, ac Senarum dominatum vna cum toto Florentino tractu ab imperio, hoc est Italiae regno Teutonibusque, cuius istud est, dependere copiosius probarem: vt de feudis imperii a domo MALASPINA coemptis nihil dicam, cum nec ipsi magni duces id negent, sed potius liberalissime fateantur. Igitur ad iura progrediemur, et, quid ex illis adseratur praesidii, lustrabimus.

# CAP. II.

# DISCVSSIO EORVM, QVAE DE FLORENTINA LIBERTATE EX IVRE OBIICIVNTVR.

## §. I.

QVae disputata sunt, Florentinae libertatis inquiunt Defensores, ad fabulas antiquas maximam partem pertinent; probantque neutiquam, Etruscos adhuc amplius Italiae Regi Teutonicoque imperio esse subiectos, qui forte certis conditionibus fuere olim: immo potius liberam videri ciuitatem, quae REIPVBLICAE nomine ab ipsis est CAESARIBVS insignita; longoque tempore ἀνυπεύθυνος stetit, bella gessit, foedera iniit, pacem suo arbitrio composuit, vectigalia statuit, et exegit, leges condidit, ac iura vniuersa atque singula maiestatis exercuit, PONTIFICVM elogio, Imperatorum confessione, vicinarum GENTIVM testimonio, DOCTORVM in iure

clariſſimorum auctoritate media in Italia Germaniaque vi-
uentium pro liberrima habita ſemper: PRAESCRIPTIO-
NEM, PRAESCRIPTIONEM aeternam inter gentes legem
Florentino quoque populo fauere: cuius interuentu ipſi
Teutoniae Reges et Principes acquiſiuiſſent plura; eoque
abſonum videri, ſi, quo iure vtuntur ipſimet, alios frui negent;
minutaque iactantes exaggerent, quando forte MVNERA
a Florentinis accepere, aut armorum terrore aliquid TRI-
BVTI expreſſere, aut victores ciuilia ſuis litteris vocabula
immiſcuere, PERDVELLES appellando hoſtes, PACEM
priuilegium ac legem, VICTORIAM poenam, VLTIO-
NEM ſupplicium, POTENTIAM ius imperii approbatum,
praeſcriptionis ſacrata iura NIHIL: macerantes interea
Italiam, expilantes opulenta oppida, aurum ſitientes ſemper,
turbantes ac confundenres omnia; ita vt tam indigna anti-
qui nunquam Imperatores a deuictis gentibus flagitauerint,
neque Auſonia tellus ſimilia vſquam pertulerit: eſſe haec
Gurcenſis Epiſcopi Maximiliani I. temporibus viuentis in-
feſta atque ipſis Alpibus duriora argumenta, ſed quae ſpre-
uiſſent tum temporis omnes Italiae principes ac reſpublicae;
quae nemo ab hinc recoxiſſet, ac ne Carolus V. quidem Flo-
rentinae ciuitatis Victor, vt qui reparator potius priſtinae
libertatis extitiſſet, nihil immutans, niſi quod Alexandrum
ac deinde Coſmum Senatus principem nouo titulo ordina-
uerit, vti eſt Venetiis: ſaluis ceteroquin priſtinis iuribus,
immunitatibus, ac propria poteſtate, quam exercuiſſent ci-
ues poſt multorum ſaeculorum decurſum: ita, vt populari
regimine cadente, Ariſtocraticum ferme ſurgeret, nullo
propterea FEVDI vinculo interueniente, nullaque ſubie-
ctionis ſpecie inualeſcente; excepto, quod ciues reſpicerent
Coſini Magni felicem poſteritatem, eamque venerarentur,
diſpoſituram ſine dubio de FVTVRO SVCCESSIONIS

ORDI-

ORDINE ac modo, inprimis cum ipso iure vanescat foedus cum Carolo V. coalitum, quando expiratura est Magni Cosmi suboles, multis virtutum meritis clarissima, ac regiis honoribus culta vndique et cumulata; addentes pro libertate PRAESVMI, adque summum aliud nihil ex aequo et iure imponi sibi posse, quam vt comiter Imperatoris et Imperii maiestatem venerarentur: atque ad hanc comitatem et cultum omnes propensos esse: hanc Magnum Ducem inculcare suis; hanc bonos omnes suadere et optare, non autem vt pro arbitratu sibi reique publicae obtrudatur Princeps ab iis, qui opibus, potentia, armisque de cetero superiores esse videntur.

§. II.

Ad quae paucis ordine putamus respondendum, dicendo: antiquum appellari, cuius vix centesimus meminit, nec meminisse potest; ac fabulas vero commenta videri, fictaque pro libidine et apologo similia, et falsa. Quis vero negauit vnquam, Germaniae Reges esse itidem Italiae Dominos? Florentiam autem in Italia esse sitam ac magnam eius portionem illo statu comprehendi, extra dubium est; idque omnes adhuc sciunt; dum vox Imperatoris cunctorum populorum aures personat: id Etruscae gentes ad vnam omnes optime intelligunt ac tenent. Nihil hic antiquum est; immo potius, quod omni tempore renouatur, ac recenti signo mentibus imprimitur, id fore vetustum et a scientia ciuium remotum dici nequit. Ea propter enim iura vetera redintegrantur, vt vetus continuetur titulus ac caussa; adeoque nihil noui flagitant Germani, dum vetustum petunt, aeterno foedere constabilitum omnibusque saeculis quasi integrascens. Id autem quod documenta certissima resignant, quod annales omnes loquuntur, ad fabulose narrata nemo paullulum humanior referet, magisque est vt coniectura pro antiquo capia-

capiatur, miraque malae fidei praesumtione onerentur, qui litteris, exemplis, testimoniis antiquis nouisque firmata Phrygiis commentis temere accensent.

§. III.

Et id vero genus instrumenta non solum fuisse Florentinos imperio subditos probant, sed esse: quamdiu nouiora non producantur, et iuris certissimi remissio euidentibus argumentis signisque doceatur. Quanquam enim promptissime largimur, desiisse, post interregni fatale interuallum, Marchiones Tusciae; nequaquam tamen Caesaris imperiique desiit auctoritas, nec missorum, seu vicariorum in Etruriam venientium legitima potestas; quin accuratius rationes subducunt, qui absonum esse existimant, de absoluta libertate iactari tam magnifica, dum interea omnes Caesarem pro Rege Italiae agnoscunt. Qui autem Italiae Regem admittit, is summum eius imperium dominiumque approbet oportet, nisi quidem Italiae Rex non sit Rex, aut hic nihil habeat potestatis ac fiscum nullum: quod sicuti inane atque ab omni experientia ac ratione alienum; ita necesse est, vt paullo clarius indicemus, quae sit Regis Italiae hoc in regno auctoritas et maiestas.

§. IV.

Ac constat inter omnes, nunquam repugnasse Italos, nec ipsum quoque Pontificem, vt Germani ipsis eligant tum Regem in Langobardia, tum Imperatorem in Romano imperio, quod est ab Italiae rationibus seiunctum. Id ipse Innocentius III. multas cum Teutoniae Regibus lites exercens, diserte fassus est: nec Friderici I. Imperatoris tempore alia plerisque opinio sedit, Blandratensi Mediolanensi teste, quem ita loquentem inducit Guntherus in Ligurino Lib. VIII.

- *Reges* ALEMANNIA *nobis*
*Vrbibus Italicis* LEGES *et* IVRA *daturos*
*Mittere*

*Mittere rite solet, postquam de partibus illis*
*Carolus et magni regnum surrexit Othonis*
AVSONIA*que frui* REGES *coepere* CORONA TEVTONICI.

Hinc est, quod conuentibus imperii illi quidem non interfint, sed Germani soli vigilent, soli deliberent de rerum summa, soli Regem constituant, soli de tributis suis prospiciant; Italis interea, quia huic Regi subsunt, ab omni onere neutiquam exemptis. Nec iuuat, iudice celeberrimo Leibnitio, qui est Fürstenerius, *de suprematu* cap. LIII. eos igitur nec oneribus subiici iure, vtpote in quae non consensissent; ac verbis magis Caesarem Regem Italorum dici, qui ad illos nec veniret, nec cum illis in deliberationem de regenda republica descenderet. Potius enim inuertendum est argumentum, eos maxime Teutonum summo imperio videri subditos, qui ad varias obstringuntur praestationes, etiamsi nec vident Regem, nec ad eius consilium conuentusque admittuntur. Et teneri autem illos ad FODRVM, PARATAM, MANSIONATICVM, hoc est, ad *pabulum*, *hospitium*, *censum Capitolinum*, pecuniasque auxiliares, si Caesar Romam contendat, nemo est paullo peritior, qui neget: etsi aliqui illud pabulum ad auenam et stramenta redegerint, reprehensi propterea ab doctissimo Pagio in Critica Baroniana Tom. IV. p. 3. n. 6. de quo postea.

§. V.

Quod si vero ad subuectionem pecuniariam aliaque obligantur, cum Romanam coronam ambit Rex Teuto; quanto illi magis Imperatori erunt auctoritati, debebuntque officium, vbi defendenda Italia, expellendique hostes ac procerum et ciuium necessitatibus erit succurrendum. Admodum namque illiberale foret, exigere ab Allemannis copias, arma, auxilium, ac stertere interea, aut parsimoniae

operam dare intempestiuae, dum imperium opes suas profundit, et exercitus suos Martis aleae exponit et Italorum commoda cum emolumento promouet.

§. VI.

Certe inauditum est, Langobardorum Italiaeque Reges alterius, quam ceteros terrarum dominos, conditionis existimatos vnquam. Potius semper illi summa sibi Imperii iura reseruarunt, quae REGALIA appellitant, scilicet, fodinas, salinas, *angarias* et *parangarias*, aliaque fisci iura, quae ipsi Iureconsulti Friderico Imperatori apud Radeuicum roganti sine mora ac circumitione adiudicauere: propter Regum absentiam quidem paululum oblitterata, sed ad veterem morem breui reducta, ac vicariis tandem, aliisque vel feudi iure, vel alio titulo permissa ac relicta. Ex quo tamen concludi nequicquam potest: ergo supremum ius Teutonum prorsus est extinctum: ergo successiones pro arbitrio possessorum dispensantur: ergo liberrimi Italiae Principes: ergo Caesaris precarium nomen est: ergo nulla seruitia debentur, nihil subsidii praestatur: ergo suo iudicio viuunt, et ad eorum libidinem translata sunt omnia, inque sua potestate sunt. Sane nec summi Germaniae Principes, Italiae regulis multo potentiores ac praecellentiores, quique cum augustissimo Imperatore rationibus Italiae ipsimet consulere solent, tam enormia postulare sustinent: tametsi terras suas maxima libertate regunt, iuribusque summis et omni potentatu fruuntur. Sciunt illi, se Caesaris imperiique beneficio haec omnia tenere, eoque reuerentiam illi exhibent, legibusque regni obtemperant, nihil facientes, quod vlla ratione laedere rem publicam, aut imperii conuellere vtilitates possit: agnoscentes multo cultu summum dominum et imperium ad conditiones pacti et capita Imperatori praescripta. Quibus pensitatis mirum

est profecto, tam inania in vulgus spargi totque fumos imperitioribus vendi. Peritiores enim in alia omnia eunt, probeque intelligunt, PARERE Italiam, omnesque, qui aliquid potestatis, dignitatis, iuriumque possident, Caesaris et imperii indulgentia ac beneficio illa possidere; sique declinent a via, et feloniae, et criminis maiestatis reos ac perduelles censeri. Ceterum hoc permittitur, Italiam nunquam ita esse Germaniae incorporatam, aut insertam, vt cum ea vnum esset: immo vero notissimum est, suas illam habere leges, ac mores, et magistratus, et principes, et ordinem singularem, nec, quae in Teutonum conuentibus concluduntur, ad eius populum, proceresque pertinere; sed habent tamen illi, quem reuereantur, cui seruitia praestent, quid et cui soluant, sicubi necessitas Reipublicae exigat, Italiaeque salus ac Caesar in discrimine versentur: vt successiones taceam feudi legibus aliisque *conuentionibus* et *conditionibus* adstrictas.

§. VII.

Quod sicuti ante octingentos et quod excedit, obtinuit annos, ita hodienum alia vix obseruatur facies; quidquid etiam de Reipublicae nomine, libertatis indice, in medium ferant Florentini. Ne enim dicam, reipublicae nomen etiam municipiis et coloniis saepe saepius tributum, quod ex ipso Cicerone (*) ostensu facile foret, quae sane omnimodae immunitatis ambitiosum elogium nunquam affectauere; saltem id adnotabo, neminem contraire, ciuitatem eorum liberam fuisse. Duntaxat quaeritur, quid libertatis nomine intelligatur? Habemus enim in Germania liberas imperii ciuitates permultas, quae foedera ineunt, bella gerunt, pacem componunt, vectigalia imponunt, ius



(*) vid. Raphael. Fabretti *Inscript.* cap. X. p. 727. seq.

metallifodinarum, monetae, aliaque iura imperii ſumma exercent, ac SVPERIORITATE territorii prolixiſſime fruuntur; et interea tamen imperatori ac Regi deuotiſſima mente addicti iurant, cenſum annuum ſoluunt, obediunt, atque imperii ſe ciues eſſe profitentur; quanquam is Rerumpublicarum titulos nemo abroget, vtque ad ſummam rerum ſuffragium ferant, nullus repugnet. Talem *fero* libertatem Florentinae ciuitati, poſtquam Tuſciae Marchiones deſiere, Imperatores lubentiſſime permiſiſſent, niſi hominum inſolentium conſiliis agitati maiora ſemper prenſaſſent ipſoſque Reges eorumque Vicarios ſuperba proteruitate ſpreuiſſent; cauſati, ſe αὐτονομίας praerogatiuo iure pollere, nulli ſe ſubiectos, ac Reges Italiae nomine magis, quam re eo titulo frui, idque ſummi faſtigii vocabulum vſurpare. Saltem in praecedenti capite tam arrogantes adnotauimus ſermones, huiusque turgeſcentiae typhum luculenter ſignauimus, vt quae fuiſſet exitii, in quod ventoſae nationis ciues propria tandem culpa ſeſe coniecere, genuina cauſſa, perſpicue pareret. Simili ratione demonſtratum dedimus, non eſſe, quod quis ciuitatum liberarum in Italia nomen reformidet. Notum quippe, Fridericum Barbaroſſam in pace Conſtantienſi multis id priuilegii indulſiſſe, vt, more Germanicarum vrbium propriis conſulibus, ſenatu, legibusque vterentur; ac regius vicarius de cetero iis ius diceret. Quos aduocatos et imperii iudices ſicuti pleraeque Teutoniae ciuitates bona Imperatoris gratia et conſenſu a moenibus remouere ſuis; ita dubitandum vix eſt, quin idem illico obtinuiſſent vrbes Etruriae, niſi animos ad intolerabilem ſuperbiam ſemper inflauiſſent. Eo refero fere omnia, quae in Ruperti Regis magnifico diplomate occurrunt: in quo Florentiae ciuibus iura maieſtatis ampliſſima dignitatemque ſat grandem permiſit, ſalua tamen Caeſaris auctoritate ſumma,

quam

quam is dimittere nullo modo potuit, etiamsi voluisset, et, temporum necessitate suadente, extra ordinem subuenire illis benigniter statuisset. Cuius rei propterea hoc loco mentionem facere allubescit, ne quis DE PLENO IVRE, quod iis Imperator impertiuit, multa inficete effutiat; sed vrbium imperii semper memor ciuiliter cogitet, etiam hisce competere pleno iure, quae vocant, regalia: quamuis ceteroquin in obsequio imperii sint, nec vlla cogitatio vltra eas exagitet. Hanc igitur, fatemur, immunitatem iis tum temporis esse indultam, hanc auro redemisse aliquoties fatemur, has vindicias secundum dictam libertatem iis concessas neutiquam dissimulamus; sed amplius aliquid datum, ac dissolutam consuetudinem licentiamque permissam maiori iure negamus, quam illi temerario ausu adstruere sunt conati, ἐλευθερίαν sine modo crepantes, potestatemque viuendi, vt vellent, sine lege, sine ordine, sine vllo imperii vinculo iactantes.

## §. VIII.

Quod autem illi de Pontificibus in medium ferunt, quasi hi eorum opinioni vndique velificassent, falsum est; veterisque aeui monumenta, litterae ac Romanorum Praesulum seuerae cohortationes contrarium demonstrant ac persuadent: ac, si quid diuersum a nonnullis Antistibus susceptum, ac rationibus Imperii repugnans interdum ex aula Romana permanauit, id infelicitati temporum, ac schismati inter sacerdotium ac regnum recte tribuitur: quando nonnulli singulari aliquando molimine Imperatores a Germaniae Principibus electos non admisere, aut peregrino exemplo ex causis saepe leuissimis contempsere. Cuius generis naeui atque errores vt vertantur in legem, ac, sanioribus principiis sepositis, pro vera libertatis Florentinae norma venditentur, omnium minime videtur tolerandum.

§. IX.

Vnde nec maioris roboris habendum, quod de vicinis gentibus enuntiatur. Vt enim istae hostilem saepe animum induunt, ac proprios aduersariorum suorum ciues in dominos suo commodo haud raro animat; ita vix abnuimus, talia a Gallis, Hispanis, Venetis aliquando tentata, ac Florentinis liberae gentis honorem habitum; sed quae vero, vtpote aliorum et tertii facta, contra Imperatorum imperiique notissima iura aut nihil efficient, aut argumentum certissimum suppeditabunt, id semper egisse arrogantissimae ciuitatis incolas, vt nulla lege suffultam licentiam consequerentur ac Dominorum suorum auctoritatem conuellerent eaque protrita effrenes agerent, obluctantesque et improbi, iurium quorumcunque clausris perfractis, magnitudinem fortunae licentia peccandi demetirentur, quidquid liberet pro licito venditantes et iusto.

§. X.

Cui mori ac petulantiae cum quidam glossarum confectores et Iureconsulti, rerum ciuilium expertes, quodammodo suffragarentur, atque Accursius surgeret, Bartolus interueniret, Baldus intonaret, Angelus de Perusio similia caneret, Gaspar de Velasco, et Alexander paria tinnirent, aliique innumeri de libertate Florentinorum omnimoda aliquid sine ordine ac circumspectione in medium proiicerent, illico stupidiores credidere quidam, rem esse confectam; Florentiamque nemini esse obnoxiam: adeo dulcedine vocabuli ambigui pascebantur. Sed illi vero, qui iura tenent, atque in lectione auctorum bene sunt versati, sine negotio deprehendunt, doctorum dicta esse intelligenda secundum ea, quae vel argumentis, vti fit in iure, vel auctoritatibus, vti fit in factis, probant. Deinde non latet, ad vnum fere omnes, quos adducit *Farsoni*, tum historiae, tum ciuili-

ciuilitatis, seu politicae fuisse penitus ignaros; aut etiam Welphicae factioni deuotos, in quibus inprimis est ineptissimus Baldus de Perusio. Neque enim sine caussa hunc hominem tali stigmate noto; cum plus satis constet, quam fuerit is Alemannis infensus, quibusque opinionibus repletus praesumtis. Dedimus alio iam loco eius generis floscu-lum e scriptis illius decerptum, sed quem denuo caussam imperii tuituri non sine ratione exhibebimus: *Rex Robertus*, inquit in capit. *bonae memor.* de Electione, *quicquid faciebat, faciebat pro statu ecclesiae et ne Henricus Imperator inuaderet Romam et Apuliam. Ideo ratio et natura Regem Robertum protexerunt a* BARBARA NATIONE.

§. XI.

Quod si igitur Baldi dictis et auctoritati primas quis deferret; facile etiam in illam descensurus esset sententiam, Italiam per se consistere: Teutones incultos, asperos, immanes, tetros, vultu motuque corporis vastos atque agrestes ad Caucasum esse deportandos, vbi rictus deducant: nihil in tota Liguria, nihil in Tuscia illis dignitatis et roboris esse: Pisanos sui esse arbitrii: Florentinos omni potestate in suo pollere: Imperatorum vanum nomen nihil ponderis habere: vt alia taceam iusulse dicta ab homine sui pleno, et, inter barbaras notiones iurisque exiguam cognitionem, arrogantissime de se persuaso, orisque contumaci impudentia famoso. Sed vix tamen omnes adeo sunt vecordes, quamlibet de libertate Florentinorum verba faciant: paullo enim prudentiores sunt ac magis modesti. Ac nemo illis, vti iam monuimus, contraibit, Florentinos habuisse iura sat grandia: id enim Caesarum priuilegia loquuntur: nullus quoque negabit, qui intelligit, fuisse eos imperatoris in suo tractu et territorio vicarios: immo tantum potuisse, quantum Rex in toto regno, quantum

tum imperator in imperio. Id namque omnes quoque Teutoniae ciuitatis liberae possunt, id status ac proceres imperii vniuersi. At dum priuilegii mentionem faciunt, propria ipsimet vineta caedunt. Priuilegium enim lex est, ac constitutio Imperatoris singularis, quo alicui peculiari benignitate subuenit. Vnde merito infertur, Florentinos legislatoriam Regum Teutonicorum potestatem confessione et indicio suo approbare inuitos, praedicareque ipsosmet. Vnde illis nequicquam proderunt magnidica verba, se Imperatoris vicarios fuisse: immo vero agnoscimus, id vocabuli in diplomate Rupertino extare. At enim omnes in liberis Germaniae vrbibus magistratus vicarii Imperatoris sunt: hanc ille potestatem vniuersis atque singulis confert; estque haec iuris publici Magistrorum recepta doctrina, COMMISSVM illis ab Imperatore REGIMEN perpetuum, quod singuli successores renouant, ac praestito redintegrare iurando solent, quotiescunque nouus Rex regni solium conscendit pluriumque Principum electorum suffragiis ad imperii culmen eleuatur. Quin addas, si lubet, tantum omnes liberas in Germania communitates in suis terris, aut intra moenia ciuitatis posse, quantum totius in imperii rectura Caesar; dic etiam plus, vt maxime, et quoad fieri potest, liberales simus. Quae enim semel sunt data et legitima ratione indulta, ne ipse quidem Imperator sine iusta causa reuocare potest, nec reuocabit, nec, quod κατὰ ῥᾴθυμίαν conceſſit, exercebit. Verum tamen alia quaestio est, an Florentini talibus priuilegiis se ipsos orbauerint nunquam? Iureconsultorum positio est, eos, qui a priuilegio temere resiliunt, priuilegium amittere atque tacite ei renunciare; atque hoc ipsi iuris interpretes Itali lubentissime fatentur, id Bartolus inculcat, Rebuffus clamat, Marsilius ingerit, Antonius de Butrio fatetur, Menochius confirmat,

ac

ac ratio non solum suadet, sed iubet. Et priuilegii legem vero migrant, qui, quod habent ex benigno Caesaris mandato, suopte id habere iure gloriantur, nec ad imperiale solium amplius respiciunt, beneficiique et mandantis indulgentiae immemores Dominis suis portas occludunt, et tanquam fungos tellure genitos sese existimant, ac pro terrae filiis, non autem imperii ciuibus, se ipsos venditare stolide sustinent.

§. XII.

Accedit, quod nonnulli Doctorum, in quibus est Accursius, non de iure, sed facto loquantur, Florentinos suo arbitratu agere adsueuerantes; quod sane verum erat tum temporis, cum res ad interregnum veniisset, nemoque esset, qui eos ad suum tribunal traheret, ipsique propriarum actionum iudices ac conuersi ad arma vicinos morderent, exercitus conscriberent, praelia committerent, victorias obtinerent, sibi aduersos pellerent ac pellerentur viciſſim. Sed quis vero omni vinculo propterea credat solutos, qui, cum capite destitueretur Germania, atque pleraeque ciuitates et proceres in statum naturalem sese repositos existimarent, arma corripuere, ac bellis sese inuicem lacessentes in propria viscera infeliciſſimo fato saeuiere? Ea ratione tota Germania in summam libertatem euasisset certe, si hisce ratiunculis istiusque farinae argutiis locus daretur. Quin statuendum quoque, Regem Teutoniaeque vniuersum regnum longo abhinc temporis interuallo euanuisse, si ex ordinum intestinis discordiis, bellis, ac *diffidationibus*, vti loquuntur, ad veram αὐτονομίαν et maiestatem foediſſima inconsequentia liceret argumentum ducere. Potius inde haud ficte cogitur, *Farsonum*, vel quisquis imaginariae libertatis defensor est, in Germaniae rebus leuiter videri versatum, nec gentium iura callere, nec Ita-

liae cum Teutonia nexum suis vnquam ponderibus exegisse; sed voculae libertatis ambiguo sono deceptum secum statim ita rationes iniuisse: ecce! tot legum sacci, et iuris splendidissima candelabra Florentino oppido munitissimo et opulentissimo libertatem tribuunt, *nulli igitur, nisi soli Deo, subiectum erat*: Imperatorem aliquando spreuit, *iure fecit itaque:* Potestas Florentina feminino genere effertur, proinde genuina Antonii Coscii Iureconsulti illatio est: *ergo ab omni Imperio libera videtur.* Sed bene est, quod hic Iureconsultus Senensis adiicit: vel *praescriptione, vel priuilegio, vel de facto, vt sunt ciuitates Tusciae.* Quare de praescriptionis commento deinde videbimus: de priuilegio diximus, de facto dicemus, idque quadantenus concedimus. Factum vero ad Iureconsultorum forum et scholas hoc sensu non pertinet, quippe qui considerant, quid secundum legum sacratas tabulas fieri debeat, non autem, quid Diis hominibusque ac more legibusque inuitis fiat.

## §. XIII.

Vnde diiudicandum porro, quod idem auctor e Germaniae scriptoribus, quique ius publicum ex professo tractauere, magno exsculpere nisu conatur; Martini Mageri, Ioannis Sprengeri, Theodori Reinkingii, Dominici Arumaei, Nicolai Myleri, Christophori Besoldi et Gasparis Klockii dictatis centonibusque innixus. Ante omnia etenim obseruandum est, *Farsonum*, nisi iniquissimus omnem in rationem cupiat esse, eandem libertatem nobis impertire oportere, qualem sibi arrogat, dum, quae ab aliis scriptoribus contra Florentiae commentitiam libertatem proferuntur, ad decempedam rationis, vel legum, vel experientiae ac publicorum documentorum fidem exigenda clamitat: visuri dein, quid in recessu habeant, quid firmitudinis, quid denique precarii contineant excitata loca. Neque

que enim intra Aristotelicos amplius carceres concluſi viuimus ac ſolis auctoritatibus, Andabatarum more, pugnamus; nec celeberrimorum quoque Iureconſultorum formidandis nominibus mouemur: quandoquidem de facto hic controuerſia eſt. In facto autem nec Papae creditur, nec Cardinalibus, multo minus doctoribus, qui plerumque hiſtoriarum cognitione defecti ad publicum ius docendum et interpretandum illotis accedere manibus ſolent. Cui nihil obeſt, videri eos admodum claros et fama apud exteros patriumque ſuper aethera notos. Facile quippe regeritur, famam vel ex falſo oriri, vel ex vero; aliquos mereri, alios non item; ac ſicuti rumor ſine vllo ſatis certo auctore in rebus quibuscunque oritur; ita vnius alteriusue hominis audacia, imperitia, amore caeco, praedicatione ſubito populus fit, qui, etſi manifeſte falſa, omnibus tamen, quae credit, vel credi vult, narrat, pluresque aſſentatores vt plurimum inuenit, qui ſine examine cuncta recipiunt, nec, a quo rumor ille exiuerit, nec quare coiuerit, perquirunt. Vnde recte dixit, qui famam monſtrum appellauit, quod nulla vnquam vi ſuperari poteſt, ſed veluti altera Hydra nouis capitibus indies augetur; ita vt grus gruem ſequatur, doctor doctorem, coruus coruum, ineptus ineptum.

## §. XIV.

Et inepti vero ſimus, ſi MAGERO fidem tribuendam exiſtimemus, Auctori ſine teſte loquenti, et contra experientiam et documenta publica Maximiliani II. tempore adſeueranti, *Florentinos ne quidem Imperatorem recognoſcere.* Eſt ille, fateor, Auſtriacus ſcriptor, ſed inſignis etiam leguleius nullo iudicio pollens, plurima conuaſans, ac fortuito tantum veritatem, vbi periti hominis volumen indiſpicitur, promens. Simile de SPRENGERO iudicium eſto, qui

Florentiae Ducis magni titulum a populo CONCESSIONE deriuat: perspicue insanientis, cum talia effutiat, quae litteris ac publicis tabulis inque gentium conspectu actitatis certissime repugnant. THEODORVS REINKINGIVS vero crambem toties coctam, nec ipsi *Defensori* probatam, apponit de vendita Florentinis libertate ab Habspurgico Rudolpho, Rege praeglorioso: vtut dein iterum sese corrigit, et a Carolo V. ad officium reductos scribit, et Alexandrum Medicaeum nominat, Cosmum tacens, Maximiliani II. litteras et litem, et imperii et Imperatoris renisum ac magnificum denique diploma ignorans, ad Nattam Iureconsultorum prouocando, addito infrunito epiphonemate: *Hodie vero de facto non recognoscit Imperatorem.* Quae sane verba dextra manu adimunt, quod sinistra est largitus, nec Magni Ducis caussam iuuant, sed destruunt. Nos enim defendimus, Magnum Ducem sine iuris praesidio reuerentiam erga Romanum imperium deponere conari, omnesque ad vnum male agere, qui vel talia sapienti alioquin Principi suggerunt, vel, si in ea opinione ipsemet versatur, et ex facto repugnat, in huiusmodi errore illum confirmant. Quam ob rem Reinkingius hac parte nullo nobis detrimento est, qui de facto eum vsurpare tam eminentem, ac nullo nexu constrictam potestatem pronuntiat, dum interea nullo iuris colore eum hoc facere, vel feciſſe adfirmamus. De DOMINICO ARVMAEO non est, quod copiosi simus. Est ille homo pragmaticus, qui in publicis imperii conuentibus, quibus interdum sereniſſimorum Saxoniae Ducum nomine intererat, multa didicit, quae alioquin in scholis non percipiuntur; sed refert is duntaxat Curtii Iunioris verba, *Florentinos ex praescriptione aliorum non agnoscere superioritatem* dictitantis: ex quo patefit, non haec probare Arumaeum, sed alieno ore decantatas haenias recensere. Idem

de

de CHRISTOPHORO BESOLDO tenendum, qui Italorum quorundam Doctorum opinationes refert, ab eorum de cetero erroribus longe remotus. NICOLAVS MYLERVS AB EHRENBACH autem longius a veritate abire videtur, dum Florentinum Magnum Ducem Galliae et Hiſpaniae Regibus comparat, eique, vt regium ſibi diadema imponat, largitur, de imperii iuribus atque aliena re magnifice liberalis; certiſſimo indicio, eum documenta hanc cauſſam illuſtrantia nunquam legiſſe; adeoque dignum videri, qui bonae mentis exhaeres ſcribatur inter ceteros. Itaque GASPAR KLOCKIVS ſuperat, qui Rudolphum pretio venditaſſe libertatem Florentinis ſtolido errore repetit, nec Carolum V. aliquid de ſupremo in illam ciuitatem imperio memoraſſe garrit; documento nouo, Iureconſultos puros putos hac parte non competentes iudices agere, inque rebus hiſtoriarum ſubſidia exigentibus talpa caeciores eſſe, quae is quoque cum ignariſſimis ſciuit habuitque. Quod ſat eſt ad conuellendas *Farſoni* auctoritates, hominis latini fere ſermonis imperiti, titulos librorum, quos adducit, peruerſe ſcribentis inque hiſtoria litteraria atque excerpendis aliorum ſcriptis perquam rudis, ebriorum compilatorum more omnia prenſantis, bacillos, ſtramentaque arripientis, ne praecipiti lapſu terram petat. Idque inde potiſſimum conſit, quod et ITTERVM *de feudis imperii* Iureconſultorum inconditae turbae aggregat, qui tamen a Klockii ſocietate abhorret ac reliquis eam in rem turpi errore conſcribillatis fidem diſerte derogat; merito indignatus, vulgata atque incredibilia auide ab inſicetis doctoribus accepta veris antehaberi.

## §. XV.

Quorum ſtupor atque ſenſilis error vti Imperatori et imperii iuribus nihil damni infert, ita mirandum eſt, *Farſo-*

*num* horum hominum testimoniis chartas commaculare suas neutiquam erubuisse; manifesto paralogismo, Iureconsultos hisce de negotiis optime testari, qui interea qua Iureconsulti, vti dictum, historiarum rerumque politicarum inscii sunt plerumque ignarique. Vnde euenit, vt Klockius ad praesumtiones hac in caussa conuolauerit, quia rerum gestarum cognitione destituebatur: nunquam id alioquin facturus, si tabulae ad manus fuissent, isque annalium veteris ac noui aeui volumina certiora perlustrasset. Neque enim homo in fori tritura ceteroquin exercitatus ignorare potuit, praesumtiones, seu coniecturas vanescere, vbi certissima rerum documenta adsunt ac manifestae voluntatis contraria indicia: ad quod confirmandum nulla testium nube opus est, quam madida magistrorum natio facile alias cogere et conflare assolet.

## §. XVI.

Enim vero linquamus Doctores inhabiles hac parte testes, qui ministri legum sunt, non magistri, aut architecti facti, quique nec dare Imperatori Principibusque aliquid possunt, nec adimere; in opinionum regno, interque glossas suas bacchinalia agentes et ad res gestas diiudicandas plane inepti. Quid enim est tam futile, quam quidquam decidere non cognitum? Vnde satius erit in iuris disceptatione ac quaestionibus ad illorum confugere subsellia, deque PRAESCRIPTIONE iactitatae libertatis Florentinae cum illis miscere sermones. Et verum est, eum, qui vsucapit, aut praescribit, aliquid acquirere, alterique adimere: vnde iuris interpretum fixa obseruatio, eum, qui se in vsucapione, vel praescriptione fundat, tacite fateri, alium habuisse ius, sed nunc istud esse extinctum, et ad se longo vsu traductum; prioremque Dominum, vel iuris possessorem id, quod habuit, demisisse; sciuerit, an ignorauerit ius

suum;

ſuum; cum etiam is qui ſua non curat, ſeruare vix credatur, ſed potius nihili putare, iisque ſe, ratione et doctoribus concinentibus, abdicare videatur. Ad haec pro explorato habetur, eum, qui ſic alterum ſuo emungere iure cupit, bona fide ſubnixum titulo deſtitui non debere, ac tempore ſat longo ſine perturbatione atque vſurpatione tenere, quae flagitat, neceſſum habere. Neque enim naturae ac rationis vox ſempiterna dolosis ſuccurrit, eosque, qui contra rationem ſua aliis eripere iura ſatagunt, nunquam ſolide ſecuros praeſtat. Qui vero acquirere dominium, aut ſimilia dominio iura capeſſere deſiderat, cauſſam adducat oportet, vnde ſibi tam inuidenda emolumenta accreuerint; cum notiſſimum ſit, dominium, vel ſimile huic, agnaſci nemini, niſi ex cauſa ad transferendum dominium habili. Deinde autem coniectura capi vix poteſt, alterum a ſe iura ſua dimiſiſſe, aut ſpem recuperandi abieciſſe, qui exiguo temporis ſpatio a poſſeſſione abſuit; facileque contingere poteſt, vt aliquid obſtaculi intercurrat, ne quis rei ſuae ſupereſſe queat, et alii interea vigiles oculos circumferendo occupent teneantque, quae ad me certiſſima ratione pertinent. Neque enim vt teſtudo tectum ſuum; ita homines res iuraque ſua ſecum ſemper aſportare poſſunt, ne alius ea arripiat, aut paruo momento inſideat.

## §. XVII.

Quibus praemiſſis iam ſane quaeremus, qua fide Florentina ciuitas ab imperio Italiae Regis ſeſe abſtraxerit, quo obtentu ad ſummum hunc honoris ac poteſtatis gradum obrepſerit, qua opinione ad omnimodam libertatem contenderit? Opinio hic requiritur innoxia, non aſſueta mendaciis, non fucata, non fallax, non erudita artificio ſimulationis ac diſſimulationis. Quod ſi dicant, Pontificem Innocentium III. aliosque ad foedus pangendum ciuitates

Tuſciae

Tuſciae ineitaſſe; hunc autem Patrem ſanctiſſimum eſſe, in quo omnia fidelia, ſimplicia, integra, pura exiſtimentur; tum ſane paulliſper audiam, nec ita Florentiam aſperam et iniquam pronuntiabo, ita maleuolam, donec contrarium clarius innoteſcat. Et admodum autem dubium videtur, an illa ciuitatium ſodalitas honeſta appellari poſſit, quae iuriiurando, quae ſempiterno cum Germanis foederi, quod agnouit Pontifex, e diametro aduerſatur? Deinde merito rogatur, quid Pontifici in Italiam Tuſciamque imperii iuris ſit, fuerit-que? Sed et id falſum eſt, Romanos Antiſtites voluiſſe, vt perpetuo ab obſequio imperii reſilirent Tuſci. Saltem litterae Innocentii III. aliud nihil continent, quam non eſſe parendum illis, *quos eccleſia Romana ab imperii clauo repellit*, Quo iure is hoc fecerit, quaue iniuria, in quaeſtionem iam non venit: praeteriere illa tempora: ſat ea de re diſceptatum: ſat litatum ſanguine: irarum vndique cruenta obſeruantur veſtigia. Sufficit, ipſos Pontifices commoneſeciſſe Florentinos, cum Rudolphus (*) regnaret, cum Henricus VII. (**) cum Carolus IV. (***) in Italia, et extra Italiam verſarentur, vt ad obſequium imperio debitum redirent. Quae enim Bonifacius VIII. molitus eſt, partim nec cauſſae Florentinae proſunt, nec a ceteris Romanae ſedis Praeſulibus leguntur comprobata. Quid? quod conſtat, (†) ipſas Tuſciae ciuitatis magnum auri pondus ſoluiſſe Pontifici, vt ab Regum Germanicorum actione et perſecutione tutos praeſtaret. Quod ſane indicio eſt, ne tum quidem a mala fide, a fa-

(*) vid. cap. I. §. 44. ſeq.
(**) vid. cap. I. §. 56.
(***) vid. cap. I. §. 76.
(†) vid. cap. I. §. 52.

a factioso consilio ac proteruitate liberos fuisse Florentinos, semper poscentes, semper libertatis, antea inauditae, imaginibus ebrios. Qua ratione vero initio malam fidem habentes nullaque aequitatis opinione suffulti acquirent libertatem, adimentque meliori iure conuestitis auctoritatem et imperii decus? Ac dici cum ratione vix potest, id vitii diu esse purgatum, ac malae mentis sordes esse remotas. Non solum enim Regum Italiae nomen, sed horum perpetuae conquaestiones, minae, arma, litterae, sociorum pudor officii eos admonuere; verum etiam illorum conscientiam pluribus vulneribus sauciam reddidere; ac singulis fere momentis, cicatrice licet aliquandiu obducta, memoriam perpetui peccati, rebellionis, atque inquinatissimi consilii refricuere. Vnde iniquitas et factum a sententia diuinarum humanarumque legum discrepans maiori verborum apparatu doceri vix debet.

## §. XVIII.

Quare de titulo circumspiciendum. At nulla vnquam alienatio supremi iuris a Florentinis potuit ostendi. Omittimus antiqua tempora: nam tunc eos in obsequio et fide imperii fuisse ipsimet pene confitentur. In medio aeuo vero quae venditio, quae permutatio, quae donatio, quae in solutum datio, quae redemptio, quae praestatio, quae compensatio, quod legatum, quae causa viuos inter mortuosque iure approbata allegari vlla specie potest? De Rudolphi commentitia venditione ipsi silent: de donationis tabulis tacent: de ceteris titulis in lucem producendis erubescunt: de priuilegiis non nihil mussitant: de belli iure aliquid mouere non audent. Et satius certe fuisset, nec de priua lege ab illis mentionem vllo fuisse tempore iniectam. Nam si priuilegium, vti vulgo sumitur, singularis lex est, legem certe imperii Germanici ac Dominorum suorum agnoscunt; sin

vero istud plenam immunitatem sonat, in circulum iterum aguntur. Statim enim reponitur: vbi igitur sunt illae pleniſſimae libertatis litterae? Quis scripsit, quis conceſſit? Quis tantae eminentiae ac maiestatis Florentinae auctor est? Quis sensus sanctionis tam egregiae et magnidicae? Sed fac factum, et, quae animo depingi vix queunt, finge. Potestne Imperator ausu proprio abdicare a se INTEGRE imperii supremi iura, ac de alieno largiri quibusuis tam liberaliter, tam effuse, tam perdite? Est haec in imperio vox inaudita, mos inusitatus. Sic enim totam ille Italiam potuisset dilapidare, perdere, abligurire; imperii auctoritatem pro arbitrio imminuere, ius eligendi Regem Italiae abolere, belloque Germanis ac foedere aeterno partum ius interuertere; Rex, inquam, electionis titulo in solio sedens, cui administratio regni omni aetate, non ipsum regnum in patrimonium est conceſſum datumque. Atque haec causa est, quare primarii in imperio Principes etiam de rebus Italiae in consilium sint vocandi, ac sine eorum diserto consensu nihil elargiendum, aut distrahendum; ne demum Italiae rebus ac terris in libertatem euadentibus desit, cui Rex Teutoniae praeficiatur; sicque per circuitum pereat ius a Carolo Ottonibusque acquisitum, et a sequentibus Imperatoribus in hunc vsque diem non sine cura seruatum. Alioquin enim dubium videri potuisset, Teutones de Langobardorum regno, quod suo plene agglutinatum non est, tam se sollicitos gessisse SEMPER. Quod propterea memoriae imprimendum, ne quis persuadeat sibi, ante Electorum principum stabile nomen ac numerum, Imperatores prolixiori facultate vsos: potius omni, quo Italiam tenuere, aeuo haec generatim lex est Caesaribus dicta, ne regni bona ac possessiones suo arbitratu ac pleno dominio in alios traducerent; sed illas potius augerent, vel, si quid abactum, aut

alienatum, iterum reducerent. Vnde tum ante *capitulationes* solenni et copiosiori modo praescriptas cum firmitudine sine imperii consensu ab eius rationibus et supremo dominio imperioque auelli nihil potuit, tum post illas, disertissime huiusmodi alienationes, venditiones ac donationes prohibentes. Vnde admodum claret, perperam iactari hac in praescriptione imaginaria titulum, cuius ope veram indipisci libertatem quiuissent Florentini municipes. Qui vero a domino, quem dominum fuisse ipsemet credit, caussam non habet, ille victas porrigere manus ac confiteri iniustitiam censetur.

## §. XIX.

At scio, quid in speciem obuertatur in nos, proque Etruriae maiestate disseratur. Bonae fidei, sic pergunt, ac iusti tituli vocabula terriculamenta in ciuitate esse, quibus subiecti vexentur, et intra limites aequi iustique specioſe coerceantur: inter gentes vero vana haec omnia et paedagogica iudicari: eum enim, qui possidet, ac longo tempore alicuius rei, vel iuris compos obseruatur, ab omni iniustitiae labe absolui: possessionem diuturnam nec fidem bonam, nec titulum poscere, vniuersaque supplere. Deinde addunt, aliter de ciuitatibus ac collegiis, aliter de hominibus singularibus iudicium instrui. Quod si enim hi verecundiae leges migrent, id illis merito exprobrari, nec eorum haeredes meliori iure frui, vtpote defunctorum capita repraesentantes; eorumque ex litteris et actis, quibus succedunt, bene edoctos: id vero in successoribus alicuius populi vtique fallere: malam fidem facti singularis esse, sicuti bonam fidem, nec contaminatam religionem antiquorum magistratuum, aut laesam conscientiam eorum, qui principem in collegio, vel ciuitate locum habuere, in detrimentum totius ciuitatis redundare: de ignorantibus vero in-

epte malam fidem praedicari; esseque inprimis circumspiciendum, quid plurimi cogitent, non autem, quid pauciſſimi sciuerint. Qua de re rationi consentaneum vix videri, vt, etsi ante aliquod saeculorum aetates primarii Florentiae magistratus a bona fide desciuissent, id peccati, post longum temporis interuallum, ceteris tribuatur insciis ignarisque rerum omnium, cum priores iam in sepulcro diu carne ac cute iaceant soluti. Immo, vtut statuatur, aliquid de facto praeterito inaudiuisse magistratus singulari ac nouo titulo succedentes, nondum tamen constare, eos necessariis documentis fuisse instructos, vnde et sibi et aliis persuadeant certo, bonam fidem maioribus defuisse: esse hanc vmbraticam mentis distinctionem, VERE veteres INIVSTE egisse; cum interea de veritate nihil solidi innotescat; adeoque certissimum maneat, non esse et non apparere in rebus iuridicis atque moralibus nequaquam differre: inprimis cum in ambiguo res gestae sint, historici dissentiant, nec cuiusuis sit expiscari, in tanta litigantium turba, verum ac fixum: cum Pontificum tabulae saepe saepius contrarium loquantur, viri in auctoritate constituti et iurium peritissimi populum in opinione altera firmauerint, nec, nisi conatum Teutonum inanem ipsimet oculis suis deprehenderint vnquam et vsquam, quos non tam pro dominis; sed pro reipublicae hostibus habuissent.

## §. XX.

At precaria ac nullo pondere valida haec argumenta sunt, quanquam speciosis verbis conuestita. Merito quippe negatur, Florentinos solo gentium iure regi, nec praescriptionis notissimas leges agnoscere. Circulum id logici vocant et petitionem principii, Etruriae primariam vrbem, pro qua venditatur FLORENTIA, in gentium liberrimarum classem esse referendam. Pro Rege Italiae maior

prae-

praesumtio est, eum imperasse quoque Tuscis, quam Tuscos ad Italici regni summum tribunal non pertinuisse. Nec magis veritati congruit, praescriptionis conditiones clare explicatas ciuilibus commentis accensendas. Ipsae gentes rationis imperio subiectae censendae sunt, nec dolum illis iuris naturae architectum permisisse in propatulo est; multo minus vllo argumento peruincitur stringente, sine caussa eripi dominium, imperiumque aliis iuste; quamuis possessio et iterum possessio iactitetur. Haec enim sine iure latrocinium est. Sed vbi vero est ius? vbi remissio iuris legitima ratione peracta? Praedonum vox est: possideo, quia possideo; Turcarumque insolens cantio ab omnibus exsibilata, qui possessionis vocem grammatice duntaxat considerant, nec ob barbarum stuporem ad ius inde profluens oculos animumque conuertunt. Possessio, qua possessio, nihil efficit, nec facultatis largitur quidquam, nisi factum aliud accedat. Factum vero vel a consensione Imperatoris et imperii expressa deriuandum, vel a patientia et voluntate tacita. Sed quis vero liberum et ab omni vinculo immune pronuntiauit Florentiae oppidum? Hoc scimus, libertatem, nec aduocato imperiali parerent, ciues eius esse tandem nactos, non autem, ne regno forent subiecti. Ac nescio sane, stuporem dicam, an nequitiae insolens exemplum, dum plurimi animo depingere *libertatem* nequeunt, quae interea semper recognoscitur, aut, vt Apuleius loquitur, incognoscitur Caesarique ACCEPTA fertur: canone aliquando ac censu praeterea constituto, ne vnquam dependentis potestatis memoriam deleant, quibus est regendi et imperandi praerogatiua facultas commissa. Commissio vero mandantem praeponit, nec sine committente ingenio percipi potest. Qua de re quanquam Italis scriptoribus nihil innotuisset iique de Teutoniae liberis ciuitatibus ne verbulum audiuissent vn-

quam; tamen fortassis illi, vt celebres antiquarii, a liberis Graeciae ciuitatibus, Romanum Imperium colentibus documentum capere possent. Vocabant enim et illae sese ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ et ΑΥΤΟΝΟΜΟΥΣ *liberas et suis legibus vtentes*, erantque simul quaedam illarum immunes, a vectigalibus nempe et tributis; nec desunt Straboni exempla huiusmodi vrbium, qui a iurisdictione Praesidum Proconsulumque liberae agebant. Verum turpiter se daret, qui Romanorum Imperatorum, aut Reipublicae summam auctoritatem iis in ciuitatibus penitus somniaret extinctam. Vbi enim vel casu perturbatus earum erat status, vel aliquid ad ipsarum tutelam et ornamentum faciebat, vel discordiis intestinis agitabantur, missi a Romanis extra ordinem legati sunt, seu praefecti, qui statum ordinarent, aut pro re nata libertatem vel imminuerent, vel plane adimerent. Audiamus Tacitum Annal. Libr. XII. cap. 58. *Redditur Rhodiis* LIBERTAS *adempta saepe, aut firmata, prout externis* BELLIS *meruerant, aut* DOMI SEDITIONEM *deliquerant* Quae verba Florentinis duplici fine magnopere commendanda sunt, partim, vt de sua libertate quam immodice extollunt rectius instructi de illa magis tenuiter sentiant, nec cum maiestate confundant, partim, ipsam gazam Medicaeam intueantur, vnde perillustris Spanhemius noster Tom. II. de *vsu et pr. Numism.* p. 584. s. nummum Neronis protulit, in quo hinc solis, quippe cui vrbs erat sacra, radiatum caput cernitur, illinc *Victoria*, et infra ΕΛΕΥΘ. ΡΟΔΙΩΝ. *liberorum Rhodiorum*, Neronis beneficio in pristinam libertatem restitutorum mentio fit. Huius excellentissimi Viri cogitata, rogo, inspiciant: ita enim spes est, fore, vt omnibus numeris absolutam libertatem ex animo sint dimissuri, manu sic ducti ad notionem alterius immunitatis, quam habent Germani, quoties ciuitates imperii considerant, quibus liberta-

bertatem nequaquam denegant: quamlibet interea sub imperii maiestate ac iurisdictione vniuersae certissime viuant. Eo pacto de consensione Caesaris et imperii in plenam Florentini status libertatem nihil amplius audietur; sed sola tacita voluntas erit circumspicienda, vnde dissentientes possessioni suae praesidium venantur.

§. XXI.

Sed desinent, credo, de possessione quieta et patientia Regum nostrorum, imperiique arrogantius philosophari, si, quae supra monuimus, accuratius librabunt. Constat namque, quid Rudolphus egerit, quid Adolphus tentauerit, quid Albertus cogitauerit, quid Henricus VII. contra huiusmodi opinionem sit molitus, quid Ludouicus Boius fecerit, quid Carolus IV. obtinuerit, quid Rupertus cum illis tractauerit, quomodo Sigismundus illorum ausibus contraiuerit, qua ratione Fridericus eos obsequii admonuerit, Maximilianus terrefecerit atque conciliatus iisdem ad moderatiora consilia propulerit, Carolusque victor eorum iterum ferociam fregerit ac *libertatem* ex mera indulgentia, ordinato eorum statu, pristinis pene cancellis incluserit.

§. XXII.

Quibus rite pensitatis facile nunc erit intellectu, quam sit hoc loco impium possessio sola praesidium: quippe quae toties est interrupta, adeoque ad veram praescriptionis exceptionem consequendam nullo tempore coaluit: Florentinis semper in mala fide verbis factisque constitutis: quidquid etiam de maiorum suorum facinoribus sibi incognitis ogganniant. Quis enim incognitum dicat, de quo continuis experimentis contrarium docetur? Quis inscientes nominabit, qui omnibus fere annis ac mensibus Caesarum rationes et argumenta ante oculos ha-

habuere constituta? Estque absonum fere, municipes non intelligere ea, quae sciunt, quibus summa Reipublicae est demandata; quaeque nec lippis tonsoribusque sunt occulta, sed omnibus notissima, sed in conspectu orbis omniumque hominum agitata et gesta. Quamobrem solum factum restat, ac ius fere vniuersum in auras vanescit, factum non solum vetustorum Magistratuum impium, sed mediorum ac recentiorum, sed perpetua rebellio, sed constans pertinacia, sed incomprehensibilis fere et stolidissima obstinatio: quam Carolus V. demum ingenti sumptu, armorumque apparatu, et milite victoriis adsueto feliciter expugnauit. Cui vix obest, quando sine iudicio proponitur, aliter tamen Florentinos rationes subduxisse, virisque peritissimis credidisse, Id enim aliud nihil probat, quam multos ex plebe, puta, panni confectoribus, textoribus, mercatoribus atque vltima faece astutorum hominum voce, ac monitis fuisse infatuatos, vt in bellum praecipites irent, aut potius in seditionem sese darent, ac furore acti Imperatori imperioque sine intermissione resisterent. An vero is, qui pessimis consultoribus locum relinquit, incontaminatam conscientiam seruat? num vniuersitas non delinquit? et an denique delinquens ac scelerum furiis agitata huiusmodi ciuitas de possessione innocua recte gloriatur? de supremo imperio a Caesaribus amisso cum tantillae iustitiae specie perorat? de immunitatis solido honore atque altissimo gradu vlla ratione ac specie sese effert? Teutonibusque praescriptionis qua ipsi sint vsi, vtanturue, velamentum vllo fundamento obiectat. Dii boni! Quid tandem percipimus? quae monstra errorum in defensionis ineptae carmen compinguntur? Habent Germani publicas tabulas: agnouere eorum in Italiam imperium vicinae gentes: non repugnauere Hispani: consen-

enſerunt Franci; atque ita quidem confirmarunt, vt, cum Conradi Salici aetate quidam male feriati ad Galliae Regem confugerent, ac vel Robertum, vel Hugonem filium Dominum expoſcerent, repulſam tulerint, atque ab Heriberto Mediolanenſi praeſule, aliisque melioris genii hominibus iurisiurandi ac fidei aeternum Teutonibus ſeruandae ſolenni ratione ſint commonefacti. Quod ſicuti ex Hermanno contracto, Wippone, aliisque auctoribus fide digniſſimis conſtat; ita mirificum eſt, opponi illis praeſcriptionis leue praeſidium ac ſimilis facinoris inſimulari Germanos Principes, qui Caeſaris litteris et imperii ſacratis ſuffragiis tuti ſunt atque, inter praerogatiua territorii iura, nihilominus parent, nec omnibus vinculis ſolutam poteſtatem, ſicut fecit Florentina ciuitas, vllo vnquam tempore ambiuere, nec affectant etiam nunc.

## §. XXIII.

Vnde denuo barbarum atque illepidum prorſus eſt: bello Florentinos ad munera interdum ferenda fuiſſe compulſos, quae dein Teutones tributi ac cenſus precario nomine inſigniuerint. Quippe iuris gentium firmiſſima doctrina eſt, cum imperio ſubditis non geri bellum. Florentini vero Regi Germaniae ſubiecti ſunt, nec ab illo obſequio vel conſenſu, vel patientia, vel praeſumta derelictione liberati vnquam. *Et ſummum*, inquit Grotius lib. II. de I. B. et P. Cap. IV. §. 12. *imperium non eſt paris rationis cum rebus aliis: immo nobilitate ſua res alias multum excedit. Vnde nec tempus alioquin ciuili lege definitum ſufficit ad acquirendum ſummum imperium ac partem eius neceſſariam*, ſi voluntas dimiſſoria deſit, *ſi coniecturae naturales*. Quod tanto magis aduerſus Italorum machinamenta obſeruandum, quanto certius conſtat, et Caeſares et Proceres imperii ſaepiſſime voluntatem ſuam expreſſiſſe, nullo modo ac tempore ſummi im-

perii apicem a quoquam obtineri posse, etiamsi ipse Imperator solus largiri sustineat, quia non ad imperium conuellendum ad discerpendum, sed seruandum et augendum solenni lege est vocatus. Neque igitur haec Episcopi *Gurcensis* (*) insolens, vti argutantur, opinio est, sed lex naturae, sed gentibus approbata sententia; cum e contrario ab omni verisimilitudine ac ratione discrepans assueratio sit, mutare ciues voluntatem posse, licere poenitere iisque fas esse semper, proclamare ad libertatem, inque eam sese vindicare. Habent enim Germaniae Italiaeque Reges ex initio constituti imperii tam firmum ac fixum ius, vt ab Italorum voluntate non pendeat, ad praeposterum libertatis studium reuerti. Recte Agrippa apud Iosephum in oratione ad Iudaeos, qui libertatis repetendae oestro perciti ad tam absona sunt delapsi: *Intempestiuum*, inquit, *est nunc, libertatem concupiscere: olim ne ea amitteretur certatum oportuit. Nam seruitutis periculum facere durum est, et ne id subeatur, honesta certatio. At qui semel subactus deficit, non libertatis amans dicendus est, sed seruus contumax.* Atque ipse Iosephus ad eosdem: *Honestum quidem est pugnare pro libertate, sed id olim factum oportuit. At qui victi semel sunt et longo tempore paruerunt, si iugum excutiant, faciunt, quod desperatorum hominum est, non quod libertatem amantium.* Similia Florentini sibi dicta putent cum reliquis, qui de libertate Italiae imaginaria

(*) Id verum, Episcopum Gurcensem Maximiliani I. administrum haec argumenta contra Italiae regulos ipsosque Venetos maxime vrsisse: quod eius temporis annales docent, inque primis anonymus Gallus obseruat, qui ante triennium, et quod excurrit, de *foedere Cameracensi* vernaculo sermone egregium libellum composuit ad Gurcensis rationes ac Iureconsultorum tum temporis viuentium sententias bene comprehendit,

naria Toſſini Abbatis argumenta mirantur, ac denuo infatuare populum ſatagunt. Rebellionis potius hic obtentus eſt, ſed a Grotio bene profligatus, aque comite Blandratenſi ante Grotium in conſpectu Mediolanenſium apud Radeuicum Libr. I. cap. X. exploſus. *Scio*, inquiebat, *qui dicant, libertas inaeſtimabilis res eſt: pulchrum pro libertate pugnare. Fateor, attamen id in principio debere fieri: ſemel autem ſubditum, et qui multo tempore paruiſſet imperio, iugum excutere, malae mortis cupidum, non amatorem libertatis videri.*

§. XXIV.

Iam vero facile ſumitur, eos, qui ciuium numero et imperio ſubſunt, optimo iure perduelles appellari, ſi deſciſcant a fide, punirique iuſte, qui in Dominum ſuum neſarie delinquunt, nec immerito pecunia emungi, qui opum fiducia elati ferrum contra imperantes e vagina educunt, ac ſocietatem cum hoſtibus ineunt; iisque iterum veniam dari, priuilegia permitti, leges ferri, qui ad officium redacti indulgentiam laeſi Principis lacrymis comitati implorant. Quare et id procul vero eſt, Teutones aurum ſemper ſitiiſſe, adeoque Florentinis anſam dediſſe, vt libertatem concitatiori ſpiritu anhelarent. Facinus hoc eſt, cuius ſuſpicione et labe adſpergunt noſtros. Quis iudex? idque vnde confirmabitur argumentis? Potius fixum et probe ſtabilitum eſt, Etruriam ad imperii fiſcum recidiſſe, cum Marchiones haereditarii deſinerent: atque hoc ſenſus docet, id ratio probat, hoc Pontificum auctoritate confirmatur: id Nicolaus III. Clemens V. hoc Gregorius XI. Nicolaus V. aliique teſtatum fecere: id Piſani, Senenſes, Lucenſes, Piſtorienſes, Aretini ſaepe ſaepius agnouerunt, hoc ipſi Florentini aliquando faſſi ſunt, cum timerent, ac praeſentia Imperatorum, eorumque exercitibus perterrefacti in ſe deſcendentes ſanioribus conſiliis locum reliquere: ce-

tera, quae de Allemannorum auaritia et iniustis ausibus afferuntur, in obscuro sunt et latent. Quin immo hic magis dissentiunt historici, quam de mala fide, quam supra tribuimus Florentinis, absolutam immunitatem affectantibus. Qui enim cum ratione dubitat, an sibi competat ius affectatum, is iam malam fidem in cunabulis seruat, eamque ita alit, vt aliquando ad pubertatem perueniat. Quod gratis certe de Florentina gente vix dicitur, quippe quae viua, sciens, vidensque caecitatem simulans ignorantiam semper tum veterum, tum proxime antecedentium rerum prae se ferebat.

## §. XXV.

Sed innotescit iam luculenter sane, quae fuerint Italorum ingenia, quibus illi dediti technis, quae Tuscorum inprimis ac ciuitatium pernicioſa consilia; quorum sicuti praecedenti capite §. XXV. ex Ottone Frisingensi picturam dedimus veritati congruam; ita supersedere huic labori nunc possumus, adiicientes duntaxat, Ottonem Frisingensem meritis ac probitate et doctrina clarum Praesulem fuisse, ac tanto maiori videri fide dignum, quanto certius est, eum coram adspexisse illorum molimina perspicueque tradidisse, in quos sumtus ii semper coniecerint Imperatores, quibus bellorum incendiis causſam dederint, quo arrogantiae spiritu exaestuauerint, quibusque perfidiae ventis illi agitati fuerint semper. Ac ne ab hac societate Florentinos eximamus, idem Otto cum Salla Malaspina facit (*) Episcopi Botrontinensis auctoritas (**) prohibet, Gregorii XI. (***) viuax descriptio vetat. Quid? quod vix veremur, quin

(*) vid. cap. I. §. XXXVII.
(**) vid. cap. I. §. LVI.
(***) vid. cap. I. §. LXIV.

quin de Florentinorum propensionibus ac virtutibus, si Diis placent, sequentia assuamus ex Varchio, Cosmi Magni temporibus aequali, iudicium Francisci Antonii Nori referente lib. XV. p. 621 *Gli disse discorrendo un giorno sopra la natura de'* FIORENTINI, *che tutti erano, o* AVARI, *o* AMBIZIOSI, *e la maggior parte* SVPERBI, INVIDIOSI, *e* MALIGNI; *e finalmente conchiuse, che Sua Eccellenza non poteua, ne doueua* FIDARSI *d' alcuno di loro in cosa nessuna.* Quo iure igitur isti Florentini, ac cum illis nonnulli scriptores Itali auaritiae insimulabunt Teutones, qui ipsimet eo vitio commaculantur, atque apud maiores suos bonosque auctores a multis retro saeculis pessime audiunt? Potius magna illi suspicione aureae famis grauantur, qui, quod promittunt, non soluunt, nec debito primario, nisi coacti, sese liberant. Et promisisse vero ac debuisse Florentinum oppidum imperio annuum censum ex superioribus (*) liquet: vt ne ab iis iustae coercitionis impensas exactas dicam, qui tantae calamitatis auctores certe fuerunt, vt Caesarum patrimonium imperiique arca saepius exhauriretur. Vnde vix vitio vertendum Italiae Rectori ac Domino fuisset, si omnibus eos opibus exuisset, et ad vltimum quadrantem praestandum refractarios ciues adegisset: qui sine dubio ad nummum Capitolinum soluendum, aliaque ad subueniendum Italiae necessitatibus imposita onera prompte suppeditanda obstringebantur; ob diuitiarum suarum cumulos alioquin superbi, iactabundi, maxima continuo anhelantes vniuersaque perturbantes. Quare si quid in illorum narratione verum, sane illud erit, quod ad tributa exsoluenda sint coacti, saepeque poenae nomine iis aliquid abrasum, quod retinere potuissent illi, nisi cessassent praeter ius et fas



(*) vid. cap. I. §. LXII.

officio suo fungi. Sed quod additur, BELLI iure id esse factum, a veritate iterum abludit. Qui enim imperio subsunt, imperatoria auctoritate muneris sui admonentur, perque executionem vi subiguntur ac dein maiori pecuniae summa priuilegiisque suis aliquando merito priuantur. Quod dum non agnoscunt causae Florentinae *paratae*, hoc profecto exemplo ostendunt, se CIVILIA imperatorum verba perperam reformidare ac, contra tot publica instrumenta et acta, et auctoritates veterum ac recentiorum, Florentinos pro liberrimi arbitrii populo venditare, qui aliquando ob Caesarum absentiam, potentiae ac rebus suis confisi, cristas, nullo iure subnixi, sustulerunt, ac iugum excutere omni studio contendentes verba saepius Imperatoribus imperioque pro auro argentoque dedere: donec demum summa dies veniret et ineluctabile fatum regnante Carolo V. illorum superbiam penitus prosterneret.

## §. XXVI.

Atque hic vero ille Princeps est, cui victas dare manus coacta est Florentia, cuiusque ad nutum demum componere rem publicam iussa, imperiumque Teutoniae supremum agnoscere. Hinc stilum illi superbiae iterum respiranti accommodant, qui Florentinos victos lubentius appellari cupiunt, quam seditiosos et ad ordinem et officium redactos. Officium enim subiectionem proponit; nouo documento, quam ingeniosa sit ambitio, quamque ista natio beneficii immemor ad ampliora contendat rursus. Etsi enim Carolus criminis laesae maiestatis Florentinos reos peregit, et arma primum ademit, totque saeculis pro Regis et imperii iuribus reducendis certamen tandem finitum; nunc tamen iterum defensores de libertate omnimoda, quam debellatoris indulgentia

gentia recuperassent, verba faciunt: ac si tot hominum, totque aureorum millia propterea perdidisset ac profudisset Imperator, vt affectato et iniusto titulo detenta ac nulli obnoxia iura iis restitueret, quae tamen semper iis negauit Germania, ac, post tot bellicos labores ac contradictiones, concedere noluit vnquam. Quapropter in ruborem dandi omnes sunt, qui talia somniant, inque luce constituendum clariori nouum Imperatoris propositum, quidue ille rationibus imperii cogitauerit congruenter, dicendum.

§. XXVII.

Hinc pro vero statuendum, antecessores in imperio animum induxisse continuo, statum Florentinum cum omnibus populis et terris non esse ab imperii iurisdictione et auctoritate prorsus immunem. Qui hoc negat, is omnis aetatis annalibus non solum resistit; verum etiam inconsulte existimat, Germaniae Italiaeque Reges patienti animo talem αὐτονομίαν et numeris omnibus perfectam libertatem ac summam potestatem Etruriae permisisse. Quod sicuti vanum ac plus, quam scenicum est, et ab omni veritatis vmbra longe remotissimum; ita piget sane, ad eam libertatem Tusciam dici restitutam, quam nunquam iuste habuit, quamue ob ambitionem maiores nostri tot exercitus ac hominum millia in discrimen adduxere saepius, de qua Carolus V. ne quidem cogitare potuit, nec cogitauit, nec quisquam eius successorum, nemoque ciuium Procerumque nostrorum cogitabit vlla aetate. Idque circo accuratius concluditur, id videri Florentinis ex mera clementia et Caroli V. concessu restitutum, quod imperium olim, et ante extremum libertatis imaginariae funus iis datum permissumque non negauit. Neque enim aliud Caesar, Principum suorum consilio et auctoritate, restituisse videtur, quam quod ad Florentinos illi pertinere aut pertinuisse crediderunt.

runt. Restituere significat in statum pristinum collocare legibus et mori conformem; idque de victore, armis superiore atque Imperatore nec mente aliter concipi potest: etiamsi nulla in lege municipali verba occurrerent, quae hunc sensum stabiliant. Quis namque nisi insulsissimus persuadeat sibi, Caesarem imperiumque ad commenta Florentinorum ac statum, quem figurarunt, antequam victi sunt, animum inclinaturos plenaque nunc manu fuisse daturos vniuersa, posteaquam vicere, eoque, quo pugnarunt, loco tropaeum posuere. Papae! iugulati sunt inimici: prospero ductu parta victoria est: castigata superbia: reducta Imperatoris auctoritas: pugnatum pro illa: deditio demum facta, et tamen veteri arrogantiae velificatum, pristinaeque superbiae locus fingitur datus. Iterum papae! Atque hoc etiam illud est, quod Maximilianus II. sapientissimus Princeps, Cosmo valide exprobrauit, quod legi ac priuilegio aduersum existimauit, quod denique ABSVRDVM dixit. Et ea vero interpretatio fugienda est, quae absurdum generat, quae ἄλογον producit, quae ἄτοπον relinquit; idque euidens est, nec palustris testimoniorum confirmandum.

## §. XXVIII.

Sed quae tandem, ais, libertas restituta est miserae Etruriae afflictaeque Florentiae? Libertas, respondeo, similis quam alii habent status ac ciuitates, quae suis Magistratibus ac legibus et priuilegiis vtuntur, et iura summa exercent *relatiue*, vti loquitur Cocceius, Vir doctus, seu comparate, ac dependente a ceruicibus ciuium titulo, quem omnes agnoscunt ac vident, quique etiam in ipso priuilegio comparet; dum FIDELES et OBEDIENTES Imperatori et imperio esse sunt iussi, dum expresse sibi et regno SVPERIORITATEM IN OMNIBVS reseruauit CAROLVS: quam *Cosmus*, cum

cum confirmaretur, approbauit, quam populus solenni iurando obseruandum promisit, quam FRANCISCVS postea, dum magni ducis VERVM titulum accepit, grata mente agnouit. Aliud nihil est datum; maius etiam restituti nec petere, nec sperare sunt ausi; eoque nec accipere excellentius aut potuere, aut voluere.

## §. XXIX.

Quod vero de nexu beneficiario omisso profertur, nihil est, nec tam subiectionem infringit, quam certius firmat. Leuis ratiocinatio est, et plane elumbis: qui Caesaris imperiique feudatarius ratione Florentini status ac ciuitatis Pisarum non est; is ἀνυπεύθυνον habet potestatem, non nisi Deo subiectam, nullique mortalium acceptam ferendam. Illico enim infertur: ergo ciuitates imperii omnes, quae feuda non sunt, ceterique libera praedia seu allodia tenentes, in summa libertate agunt, ac pro concessa iis (imperitorum iudicio) maiestate diadema sibi imponendi ius babent. Ohe! iam sat est. Quot enim Reges essemus habituri? quot capita, quot imperiosa nomina? quot equites Reges? quot consules et magistratus Principes eosque summos, cum ii regio atque imperatorio nomine vrbibus praesint et superioritatem exerceant largissime indultam; non autem beneficiario iure imperent.

## §. XXX.

Igitur vertendus stilus, et quot modis aliquis sub summo viuere imperio queat, docendum. Imperium et dominium res morales sunt; habentque gradus et intellectu comprehensibiles partes. Qui totum dominium imperiumque largiri potest, ille etiam alteri non nihil, seu partem potest impertire, simulatque adiicere omnem vtilitatem, ita vt eo modo vasallus dominus vtilis efficiatur: dominus,

quia portionem proprietatis accipit, et vtilis, quia a perceptione commodorum ac compendiorum omnes ipsumque dominum excludit, corpora sint, an iura, vnde vtilitas in possidentem et fruentem redundet. Idque pacto, vel contractu fit, cuius vi vel ad seruitia obstrictus est, vel ad fidelitatem et recognitionem solam dominii superioris, quod appellamus directum. Idem vasallus haud raro etiam ciuis est, intuitu regni, vbi viuit, cuius Rector maiestate sua vniuersos adtingit ac comprehendit; quamlibet illam potestatem Procerum suorum consilio et ad certas conditiones ac pacta exerceat, varieque dispenset. Sufficit omnes sub hoc imperio summo inueniri, quocunque demum *modo* imperans habeat, vel gerat, diuisim, vel indiuisim, solitarie, an coniunctim: quod copiosius indicari nunc sane non est necesse. Sed inde vero consequa ratione ducitur: nec ceteros, qui talia beneficia non possident, nec peculiari fidelitatis nexu, seu beneficiario vinculo supremo Principi sunt obligati, maiestatem, vel supremam eius potestatem effugere. Sunt in Germania innumera allodia, quae a primariis et ingenuis hominibus possidentur; sed inde tamen non nisi indocti et agrestes cogent: ergo eos nemini subiici: vtut de cetero praedia sua libere administrant, nihil pensitant, suoque arbitratu vel retinent, vel inter suos diuidunt, vel plene planeque alienant. Deinde notandum, esse et fuisse in Germania Italiaque talia bona, quae ad fiscum *domaniumque* imperii pertinuere olim, quaeue Caesares administranda ac regenda aduocatis et vicariis suis concessere, certis inde reditibus ad se redeuntibus: supremo interea imperio Regis saluo. Cumque et hi in plerisque imperii oppidis euanuissent, ac, Caesarum peculiari concessu, consulibus et magistratibus demum regimen ciuitatium commissum fit, hocque complexum

xum iurium maiestatis contineat; sine negotio nunc intelligitur, quomodo hae ciuitates liberae sint appellatae. Liberae etenim illae sunt a praefectis Caesareis, gaudentes αὐτονομίᾳ, eligentes ad praescriptum magistratus proprios, pensitantes aut nihil, aut perparum: saltem non nisi cum publica exigit regni vtilitas, vel necessitas aliquid amplius colligunt, inque imperii aerarium inferunt. Ac talis ciuitas, post multas demum concertationes, euasit FLORENTIA, variis victoriis diteſcens, et terras *comitatumque* suum insigniter augens: quod Caroli IV. tabulae, itemque Ruperti disertis verbis comprobant, in quibus PRIORES ARTIVM, VEXILLIFERI IVSTITIAE, et CAPITANEI ceteri vicarii Imperatoris, seu COMMISSARII constituuntur, simulatque INVESTIVNTVR. Caue putes, eos sic in feudum rectum accepisse regimen ciuitatis. Est namque cognitum, INVESTIENDI verbum ampliſſimum ambitum habere, omneque firmamentum signare, itemque mandatum, ac *commissionem:* quemadmodum supra obseruari a peritioribus potuit ex Alphonsi Castellae Regis et Pisanorum litteris in medium adductis, vbi ciues hi Alphonsum in Regem cooptant, ei iurant, illumque INVESTIVNT, hoc est, approbant, et, quantum in se est, confirmant: quemadmodum is viciſſim Pisanos omnibus, quae tum temporis petierunt, iuribus benigne INVESTIVIT. Huiusmodi igitur summum regimen propriis Florentinorum magistratibus a Caesare mandatum Rupertus PLENAM LIBERTATEM vocat, quam sane nondum habuere tum temporis ita integram, cum ad imperiales vicarios ac missos regios recipiendos essent obstricti: more ceterarum Langobardicarum vrbium, quibus secundum pacem Constantiensem tales *potestates* Caesaris electione et ad tempus aliquando imponebantur. Vnde satis liquet, quare restituta hac Florentinis

rentinis libertate Alexandrum ac Cosmum Carolus V. nullis feudi legibus adstrinxerit, sed senatus PRINCIPES et DVCES appellauerit, PRIMARIOS gubernii ac ciuitatis omniumque collegiorum PRAESIDES: cum alias populare regimen vigeret, ac proprio ausu a ciuibus olim, inter varios conflictus et factiones, esset institutum. Vnde haud temere adfirmauimus, Venetorum more Medicaeos DVCES esse dictos, maiori vtut libertate PRINCIPVM, ac populi viciſſim obsequii arctiori.

§. XXXI.

Cui non repugnat; Maximilianum II. in litteris ad Cosmum perscriptis eum VASALLVM suum nuncupasse. Est magnus Dux vasallus, sed aliarum terrarum intuitu, non autem ratione Reipublicae Florentinae ac Pisanae, vt quae ipsius regimini primario a Caesare sunt subditae ex perpetua commissione et mandato, quoad successores et posteri legitima ratione geniti itemque masculi superstint. Re ipsa parum interest, feudi lege summum regimen hac in ciuitate, terrisque habeant magni Duces; an ex perpetuo MANDATO et COMMISSIONE. Vtrinque summus dominus est et largitor, et mandator, et fidelis, et beneficiarius, et acceptor, et mandatarius. Quod qui obscurum dicit atque incomprehensibile intellectu, is vel in ciuilibus rebus hospes, vel obtuso admodum ingenio praeditus videtur, dum, quod FEVDVM non est, LIBERRIMVM praecipiti voce pronuntiat. Quocirca sicuti tota ciuitas ad fiscum imperii Italiaeque regnum pertinuit, Caesarique cum imperii summatibus allubuit, vt hac ratione Etruria in posterum a Medicaeis gubernaretur hisque Principibus honores omnes praerogatiui, quemadmodum aliis Ducibus, exhiberentur; ita per se patefit ab illo Italiae regno, quod Caesari obtemperat, Medicaeos seiun-

iungi neutiquam posse, sed ad SVPERIORITATEM Imperatoris imperiique agnoscendam et colendam partim ex ipsa negotii natura, partim singulari pacto ac CLAVSVLA CONSERVATRICE omnino obstringi: in fumum abeuntibus omnibus fallaciis Iureconsultorum, qui de plena libertate aliquid audientes pleniſſimam et absolutiſſimam somniarunt, somniisque suis ac strepitu infelici haud parum confusionis in scholis, foro, curiis, principumque aulis excitarunt.

## §. XXXII.

Qua libertate stante inque magnis Ducibus cumprimis efflorescente, inquirendum adhuc est, an, cum in Italia belli formido circumstrepit, huiusque regni commodis prouidendum, ex loculis suis aliquid conferre Etruriae summus Princeps cogatur? Quod etsi primo intuitu absonum videtur; cum neque ad seruitia, neque alia onera vlla ratione ille diserte sit obligatus, nec magnum Ducatum suum in *beneficio* habeat; sed sine censu, sine stipendio, ac vectigali imperio soluendo possideat; non est tamen non fatendum, incidere saepe causas sat grandes, quare nec Florentinus magnus Princeps ab omni collatione ac vectigali pro re nata praestando immunis sit. Facit enim iurisdictio regni ac CLAVSVLA CONSERVATRIX de supremo imperio, vt non solum iure exigendi tributa polleat Imperator; verum etiam aequitate iubente reapse colligat. Quorum enim sumptibus propellat is ab Italiae finibus imperii hostes, nisi hi, qui maximam eius regni portionem tenent, et pingues inde reditus referunt, ac domaniis regiis vtuntur, fruuntur, patriae in summo discrimine versanti succurrant? Ac mirum sane permultis visum, tam modice ac temperanter haec ab Italiae statibus peti, Caesaremque et imperium tantas pro eorum libertate tuenda impensas

feciſſe; illis viciſſim modicas penſiones repraeſentantibus: licet proximus arderet Vcalegon incendioque facilis ad eorum penates tranſitus eſſet. Vnde non ſine cauſſa Fürſtenerius exiſtimat, Italiae Principes tum demum bona ſua intellecturos, ſi Gallia Alpes transmitteret, et Apennino monte perfracto, media in Italia conſiſteret; proindeque concludendum, nihil hic *libertatem* effecturam, ſi defendendum regnum, cuius Etruria portio eſt; perperamque Germanos, qui metum adhibuiſſent pro iure, in inuidiam adduci, quorum praeſidio tamen res Auſonia conſiſtit, quoue ſubtracto iterum concidit: vicinis Principibus atque ipſis etiam Turcis vigiles vndique oculos circumferentibus, quid meditetur Caeſar, quid agat, quae Auguſti ſit in Italia auctoritas?

## §. XXXIII.

Supremo autem imperio in Etruriae terras Florentiamque ſaluo, atque ſucceſſionis ordine in anteceſſum ſtabilito, iam ſane abſurdum foret, dubitare, an ad Caeſarem redeat diſponendi de Etruria arbitrium, ſi, quibus commiſit magna auctoritate regimen, poſteris ad ſucceſſionem habilibus deſtituantur? Credo, ipſum Coſmum III. Principem multis virtutibus cumulatiſſimum, talia vix ſuſtinere, quae iactant ſcriptores libertatis vana cogitatione noue diſtenti. Id enim certum, feminas, vel ex feminis ortos non ſuccedere; multo minus filios naturales, atque a naturalibus proſatos; idque lex municipalis ac litterae Coſmo Franciſcoque indultae abunde teſtantur. Magnum autem Ducem habere ius de ſucceſſione in poſterum ſtatuendi, tam improbabile eſt, quam Medicaeam gentem ſuo arbitratu et iure ad tantam amplitudinem adſcendiſſe. Accuratius ſane Maximiliani II. ratiocinium eſt, ſine Caroli voluntate, opibus et ſingularis indulgentiae exemplo Maedicaeos exules

atque

atque extorres a patriae finibus manſuros, aut, ſi ad lares iterum ſuos rediiſſent, in CIVIVM numero fuiſſe futuros. Quis enim Princeipem Senatus dixit Alexandrum? CAROLVS. Quis Coſmum eadem dignitatis praerogatiua ornauit? CAROLVS. Quis ciues ad imaginariae libertatis nomen euntes perterruit? CAROLVS. Quis Medicaeis ſucceſſionis iura ſtabiliuit? CAROLVS. Quis Ducis elogium eidem Coſmo breui manu tribuit? iterum CAROLVS. Quis Magnum Ducem inani nomine praeter ius et fas creauit? PIVS V. Quis VERE Franciſcum ad illud honoris ampliſſimum faſtigium ac cum effectu euexit? MAXIMILIANVS. Quis regiis honoribus Coſmum III. cumulauit? LEOPOLDVS. Et hi Principes atque Imperatores vero ab illis nunc negliguntur, qui libertatis antiquae commenta inuerecunde depereunt, ac ſine teſte et auctoritate ſcribunt, inque publica luce, orbiſque Europaei conſpectu impudentiſſime blaterant ac ſtrenue ſemper mentiuntur. Idque tanto intolerabilius eſt, quod id peregrino nomine in hebdomadariis nouis faciunt, erroremque non ſolum ipſimet retinent, ſed ſtolido conatu ad alios propagare contente moliuntur.

## §. XXXIV.

Et quam autem hoc ſit illiberale atque ab omni veriſimilitudine auerſum, inde potiſſimum claret, quod, diplomatibus publicisque inſtrumentis alia omnia loquentibus, id faciunt ac SVPERIORITATIS et iurisdictionis Imperatoris et imperio reſeruatae immemores perſuadere mortalibus audent, penes Magnos Duces omnem auctoritatem arbitriumque eſſe, deſtinare ſucceſſionem illis, quos deligunt, ac dignos imperio futuro reputant. Quae audax confidentia maiorem criminis labem habet, quam ſi quis Pontificem arbitrum ſtatueret, eique ius creandi Magnos

Duces

Duces transcriberet. Ea enim ratione magni Duces pro lubidine sua magnos Duces statuent; eritque in eorum potestate, elogium huiusmodi tribuendi, quibus velint, excluſa Imperatoris imperiique tremenda auctoritate. Quare adhuc ratiocinabimur paullisper.

## §. XXXV.

Medicaei magni Duces ab Imperatoribus et imperio ius succedendi habuerunt, aut non habuerunt eorum lege. Si posterius, meminisse et commemorare debent, qua ratione ad id fastigii peruenerint. An per se? Et existimarem, ad res huius commatis bene gerendas potentiam illis defuisse; simulatque ius. Aut enim Imperator id illis indulsisset, aut Pontifex. Pontifex non habuit, nec dedit, nec stante libertate immensa dare potuit. Absonum est quippe, Pontificem libero populo pro arbitratu obtrudere principem. Imperatorem dedisse certum est, sed id illi negant: non habuissent igitur, nec accepissent profecto. Ergo ad populum eundum: sed hic expulit Medicaeam gentem: huius imperium isti inuisum, ingratumque semper fuit: pro eius tyrannide declinanda extrema omnia pertulit. Et fac, populum voluisse insimulque suo, non Caesaris arbitrio Duces fecisse: quis eos tali cultu excepisset? Quin immo ea ratione Medicaei Imperatores imperiique hostes manifesti essent effecti. At non sunt facti inimici; sed ad gratiam Caesaris, Clementis VII. precibus et subsidio, arrepsere. Itaque dicendum potius, ex lege Caroli municipali ad eum honoris gradum illos peruenisse. De Alexandro filio naturali Laurentii, aut Clementis id exploratum est: de Cosmo res itidem certa. An enim eligunt, qui ius eligendi non habent? Sed Cosmum elegerunt, inquis, tamen. Quaero iterum, vtrum libere, an ad praescriptum? Si prius, insto,

an

an potuissent alium adsciscere sibi Principem, quam Cosmum? an Laurentium parricidam? an eius posteros? Sin negas hoc, eligendi ius liberum illis eripis; si permittis, Cosmus sane non fuisset electus; sed Strozzii, Rudolphi, Saluiati, exules per suos emissarios vicissent, ac Medicaea gens iterum moenibus fuisset eiecta. Quare vero placuerit demum Florentinis Cosmus, Caroli lex fecit, quae statum et successionem in antecessum ordinauerat; vnde electio populi Florentini libera iterum dissipatur et vanescit. Electio non libera vero est successionis ius inani simulacro electionis inuolutum. Igitur qui per simulacrum elegerunt, sensu iuris non elegerunt, sed approbarunt successionem Medicaeae genti a Carolo destinatam et imperiali auctoritate tributam; eoque municipali legi obtemperarunt. Vbi lex et obsequium, ibi quoque statuitur imperium. Quod vero imperium Caesari ac regno competit, sane summum est: nisi incondite adfirmes, Regem et regnum agnoscere regnum superius, aut populum obnoxium regno ad nutum Caesaris viuens, non videri obnoxium; ac coactum esse liberum, liberum iterum coactum, populum ad voluntatem imperatoris iubentis res suas componentem, non composuisse, eumque pro arbitrio egisse, cui arbitrium ademptum, quique non ausus est, differere de suo arbitrio, sed potius ad Caesarem scripsit denuo, se in fide et obsequio eius fideliſſime perstare, et ad voluntatem illius successionem detulisse adolescenti Cosmo natu inter Medicaeos maiori. Hoccine est eligere ex mera sua voluntate, quae est aliena? Quod si in scholis homines vmbratici tot repugnantias loquerentur, quot hoc collegimus loco, qui sibili orirentur quaeso, qui strepitus? Sed ita fit, quando veritas oppugnatur, et error illi pugionem infert, aut fallacia obloquitur; omne enim

falsum secum pugnat et tandem omnes, qui istud tenaci ratione tuentur, ridiculos efficit.

## §. XXXVI.

Iam si sumamus, Alexandrum et Cosmum legem illam municipalem agnouisse, eiusque vigore principum decus accepisse, ac per Caesareos oratores iisdem imperium sic esse mandatum atque regimen patriae commissum, quis erit, quaeso, tam impudens, vt ab omni nexu, qui sic imperio denuo sunt adnexi, liberrimos atque immunes pronuntiet? *Farsoni* inquis: sed hic homo se ipsum iudicat, dum contraeuntia probat, et disparata eructat, et, quod per oppositionem negationis seiungit, adfirmatione iterum coniungit. Quamobrem eum merito in classe sua relinquimus, donec expergiscatur atque ex contrariis diuersisque et inter se repugnantibus ipse sese expediat. Nos interea pergimus et ad imperatorias litteras ac diploma reuertimur, in quibus clausula conseruatrix obseruatur. An igitur perperam illam adiectam, aut dicis caussa appositam dicemus? An SVPERIORITATEM Caesaris et imperii clarissimis apicibus expressam ornamenti loco memorabimus adsutam? Sed fingamus, Cosmum ad montem Murmullum acie caesum, ac Strozzium ceterosque exules vicisse, Senenses Gallorum praesidio triumphasse, eundemque Cosmum a ciuibus suis in exilium eiectum, aut captum, aut Florentinos iterum per seditionem ab eo ac Francisco Cosmi filio desciuisse; quis credat de libertate suorum Medicaeos tam grandia fuisse prolaturos? Fac amplius, Caesarem respondisse, se nolle iis auxiliares manus porrigere, vt qui tam peregrinum suis litteris sensum adfinxissent, vel, vt id fieret, imperitis scripturientibus permisissent. Quid tum existimabimus futurum? Credibile certe est, eos caelum terramque fuisse commoturos, ac Florentinos iterum nefan-

nefando consilio Caesaream legem infregisse ingeminaturos: in obsequio et fide imperii esse sese: legem aeternam ciuibus suis a Carolo latam, nihilque aliud cogitaturum Imperatorem se sperare, quam vt de perduellibus atque regni hostibus, secundum iuris rigorem, statuat, dignis eos poenis afficiendo, seque secundum legis municipalis TENOREM in pristinum statum restituat: Imperatoris imperiique interesse: idque non ferendum in subiectis hostibusque. Ecce! quantum immutatus futurus fuisset hic sermo ab illo Cosmi, cum magni Ducis verendum nomen meditaretur, ac Pio Pontifici hostiam obsequii offerens adulatoriis vocibus operam daret, quodque per se illicitum erat, fucato oblinere colore satageret.

## §. XXXVII.

Lege municipali autem in tuto constituta, vel integra seruanda est illa, vel, quare non seruetur tota, et in quibusdam ab ea recedatur, indicandum. Nihil enim noui meditari Medicaeos aut meditatos vnquam verisimile sit, vbi de eorum commodo sanctio disponit. Quocirca restat, vt, quid sublatum cupiant, consideretur; quod sane, vti nunc obseruatur, illud foret: aut liberrimam post Medicaeorum fata, futuram iterum Rempublicam ac soli Deo subiectam, aut Medicaeorum vltimum daturum illi caput et Ducem. Postremum inde illico ac generatim profligatur: Medicaeos Principes extra legis municipalis circulos nihil iuris accepisse, et hanc autem regendi facultatem et iura familiae tam nobilis fine terminasse. Igitur legi derogatum oporteret. Dux magnus vero nihil illi adimere potest, quia non sanxit: Caesar cum imperio nihil detraxit, vel adiecit: quare hac parte illibata atque integra consistat necesse est. Quod si praeter hanc legem aliquid sibi tribuunt Medicaei; tum nouum est priuilegium

ostendendum: quod tamen solis administri alicuius ambiguis litteris non absoluetur. Id vero fieri aut produci posse in *forma probante*, seu legitime, non solum incredibile, sed certissime falsum est: vnde ad antiquam illam legem res tota tandem recidit.

## §. XXXVIII.

Per hanc vero Medicaeis regimen est permissum, ac Florentiae suo modo libertas restituta. Ad regimen dispositio de successore non pertinet. Nemo enim tam inficete vnquam rationes subduxit, vt regendi et gubernandi potestatem dixerit LIBERTATEM NOMINANDI SVCCESSOREM. Proinde haec facultas meliori iure ad alium pertinebit, quam ad eum, qui totius gubernationis caput ipsemet SVPERIORIS benignissima voluntate est constitutus. Qui vero semel de regimine ac successione cum auctoritate disposuit, pro illo haud leuis est coniectura, non sine ratione eum id facturum iterum, cum ciuitas capite erit destituta. Cui vix refragabitur Magnus Dux, postquam tot demonstrationibus et documentis in aprico est constitutum, Cosmum magnum non esse electum, sed secundum legem municipalem successisse ac populum Florentinum huic sanctioni demisso obsequio paruisse: vnde interea non apparet, eum pleniissimo Ducatum iure possedisse, hoc est, in patrimonio habuisse; sed MODVM HABENDI potius a Caesaris singulari gratia permanasse, eaque ratione totum successionis ius circumscriptum ac valde limitatum fuisse. Neque enim sequior sexus succedit, nec praeter Medicaeos ex legitimo matrimonio natos, alius: Etiam ficti et adoptiui filii sunt excluſi, quod Maximilianus II. *naturalium filiorum* nomine innuit. Ex quo merito colligitur, aut nihil arbitrii in nominando successore Medicaeis esse relictum,

ctum, aut, si fingatur aliquid permissum; non eos tamen filios filiasque, neque ex filiabus ortos, neque adoptiuos, aut ex hisce prosatos ad successionem vocare posse: vnde iterum clarum efficeretur, eos ad legem Caesaris seruandam fore obstrictos, aut non fore. Si primum, patet subiectio, elucet limitata potestas. Si alterum, lex sane municipalis non esset lex; inque vanum reciderent omnia, quae ipsimet emolumento suo credidere seruanda a populo. Quod si vero Florentini huius generis personas cognatosque Medicaeorum ad clauum Reipublicae gerendae vocare apti essent, plus certe populo esset datum, quam communitatis, omniumque collegiorum capitibus; quod quam sit inhumanum atque incredibile, nemo non olfacit. Cui accedit, semel Florentinis ea libertate indulta, eos quoque vix videri impediendos, quin diadema imponant futuro Principi, ac Regem proclament, Regem Etruriae, Regem inferioris Italiae: quod postulatum omnem rursus modum excederet; adeoque cachinnis ac sibilis dignum merito habetur. Quocirca nihil restat, quam vt denuo Medicaeis amplior facultas tribuatur, nempe, vt vel Galliae Regem, vel qui se Hispaniae Dominum dicit eiusque haeredes, appellarent: de quibus tamen iterum recurreret quaestio, an possent, cum sint cognati atque ex Medicaea femina coorti; vel denique statuendum, perinde futurum, hostem Germaniae arcessant, an minus, imperatoris inimicum adsciscant, an amicum. Et quis autem animum inducat, permissum id ab Imperatoribus, de quo neque cogitauerunt, neque, vt homines ratione praediti, ac sapientes cogitare potuerunt, nimirum, vt anguem illi in Italiae ac regni sui sinum transferrent. Quare iterum relinquitur, vt nullam alienandi potestatem obtinuerint, cum haec ad dominium, non autem ad regimen et imperium limitata ratione concessum pertineat;

atque alia interea conuentio desit: qua non apparente, nihil herile datum iis intelligitur: non expresse, quia littera deficit, non tacite, quia *superioritas* dantibus disertim est reseruata, adeo vt frustra nunc de praesumto, vel tacito disputetur consensu, vbi cancelli, quibus Medicaei sunt iucluſi, euidentissime conspiciuntur, supremique imperii vox ab omni eos molimine reuocat, in irritum facile redigendo, si ratio, si aequitas, si conuentionis lucidissima verba, si priuilegii, cuius interuentu ad illud amplitudinis fastigium adscenderunt, honesta expositio locum inueniant: nec vis, nec licentia, nec impetus regnet; sed supremi Numinis sapientia Etruscos Principes regat, cuius in conspectu doctorum praestigiae et cauillationes, et fucatae interpretationes nullo loco sunt, nec vlla ratione dominantur.

## §. XXXIX.

Et quis ergo, ais, succedet tandem? Cui interrogationi, inuitus licet, regero: id determinaturum CAESAREM: vt qui superioritatem sibi et imperio disertissime illibatam voluit; eoque firmissimis rationibus concluditur, nec populum Florentinum, nec quemquam alium facultatis ea in re habiturum quidquam. Neutiquam enim huc pertinet, sed a scopo prorsus abludit: familia regnatrice, cui Florentia sit subdita, extincta, populum nunc reciperaturum pleniſſimam libertatem: neque enim id salua Imperatoris et imperii iurisdictione fieri poterit; Pisanique forte eadem ratione essent vsuri. Quin si secundum rigorem iuris pronuntiandum, dubitari profecto posset, an, qui intuitu Medicaeae familiae in aliquam libertatem sunt restituti, eam retineant hac gente ad plures abeunte? Sed fac, restitutionem

nem cum perpetuo et pleno effectu esse intelligendam, non habebunt tamen Florentini plus, quam acceperunt tempore Caroli V. cum sunt restituti. Et tum vero ius eligendi Ducem, aut statuendi de ordine et figura Reipublicae est exceptum, exceptum quoque in deditionis lege: itaque sapienti et necessaria ratione infertur, exspectandum esse illis nouum Caesaris imperiique arbitrium, cui se, iureiurando praeeunte, submisere semel; cuique parendum. Nullum hac parte populi iudicium est, nulla libertas, nullum suffragium. Vt precentur, vt sollicitent, vt supplicent AVGVSTO, nemo impediet: sed interea tamen absonum foret denuo, si, dum precibus vtuntur, animum inducant, necessario precibus suis locum esse dandum. Nemo enim precibus ab alio sibi dari id contendit, quod ex lege competit, et proprio iure. Nulli obnoxiam vt somnient libertatem, sicuti explosum; ita suadendum vtique, ne somnient rursum, et illepida fingant, et illiberalia postulent, et, quod fieri non potest, animo imprimant; ne dicam sperent, aut, improba inter studia, exspectent. Vnde inconcinna quaestio: ESTNE POPVLVS FLORENTINVS IN SVA POTESTATE? Statim enim respondebitur, populus est, sed in SVA POTESTATE non est; sed alienae potius potestatis, ditionis ac iuris; idque omni aeuo. Rex ipse hac parte populus est, qui suas mandabit vices HVIC, ILLIVE: cum MEDICAEA gens potens, et magna, multisque decoribus illustrissima migrabit ab hac vita eiusque vltimam lineam, quod DEVS auertat longe, absoluet.

CAPVT

## CAPVT III.

# DISCVSSIO EORVM, QVAE EX FACTO PRO FLORENTINA LIBERTATE OBIICIVNTVR.

### §. I.

COncludi potuisset libellus noster, summaque illi manus imponi, nisi in exodio nouum nobis negotium facesserent de iure desperantes, in facto latibulum quaesituri: confingentes propterea praelicenter et comminiscentes varia, vt historici esse videantur. Quorum vt disiiciamus nebulas connitendum.

### §. II.

Et putant illi illepide, antiqua monumenta tam spissis tenebris esse inuoluta, nihil vt inde lucis affulgeat: post finem Carolingicae stirpis Italos nulli externo Principi obseruari obnoxios. Ottonem vero propterea a nonnullis vocatum, ne Berengarii tyrannidi succumberent; cuius terras quidem sub iugum misisset Rex Saxo; sed neutiquam tamen imperare eum ceteris cupiuisse, qui vocarunt. Hinc factum, vt, post Ottonis III. ad superos excessum, Harduinus Eporediae Marchio a Longobardis imperio admoueretur: Tusciae ciuitatibus, in quibus cum primis Florentia, ad libertatem contendentibus. Marchiones Etruriae ceteros nihil sibi potestatis in hanc ciuitatem tribuisse, ac ne ipsam Mathildam quidem, praeter palatii possessionem paucaque allodia, in Florentino tractu nullam proprietatis particulam nullumque ius regendi affectasse: successoribus reli-

reliquis inane nomen datum, falsumque omnino, eos imperii beneficiarium nexum agnouisse: priuilegia, quae accepissent, sensu improprio tali appellatione singnari: nec ad vocabula, sed rem respiciendum, nec vicarium Prioris et Vexilliferi imperium a Caesaribus indultum videri cauillandum: doctores vetustos de re a se visa ac propria scientia testari; iisque credendum: ab imperialibus ciuitatibus perperam ad Florentinos argumentum duci: Blesenses tabulas sine causae cognitione confectas; ac Maximiliano a Gallis ea aetate in multis velificatum, quod Florentinis nihil praeiudicii crearet: Carolum V. nunquam eos pro rebellibus venditasse: legem municipalem a Caesaris aula esse quidem profectam, sed innotescere in vulgus, quam magnidico calamo vtantur Caesaris scribae: potius Carolum Florentinis oratoribus Vallisoleti omnem libertatem promisisse; eosque vt veros legatos contuitum, ac, veluti Venetos oratores, bello sibi Burgis in Hispania declarato, excesse ab aula sua iussisse; quod is nequaquam fecisset, sed indubie illos in carcerem compegisset, aut retinuisset secum, si ipsemet animum induxisset, Florentinorum communitatem aliqua ratione sibi imperioque obnoxiam: saltem Carolum in Sfortiae legatum, tanquam sibi subditi, seuerius statuisse: Fridericum III. hanc quidem Rempublicam ad imperii conuentum in Germania euocasse, quae interea emanserit impune: quicquid inueniretur dictum scriptumque, vnde subiectio gentis huius inferri possit, ad inania atque officiosa verborum commenta pertinere; nec curandum, quid iratus Caroli V. administer protulerit, *feloniam* temere Florentinis obiectans; qui de cetero de libertate sua, vti ingenuos homines decet, mascula oratione intercessissent: Alexandrum nunquam Carolum pro Domino agnouisse, allodiisque potius ciuitatem Florentinam accen-

sendam videri: atque hanc elegisse Cosimum, quin immo haesitasse primum, an Alexandri filio naturali Iulio imperium, referente *Varchio*, destinaret? Pium V. Pontificis testimonium pro libertate summi Ducis magni esse momenti: vt reliqua, quae multo sunt ineptiora, praetermittamus.

## §. III.

Satis quippe copiose a nobis capite I. abundeque demonstratum est, totam Carolo M. victori Italiam, quae erat Langobardorum, paruisse, nec inde exceptam Etruriam; nec Caroli posteros ab illo regno excluſos vnquam: quae vt repetamus argumenta auctoritatibus comprobata, opus non est. Quae autem de veterum monumentorum obscuritate dicuntur, ignorantiam *Contradicentis* his in rebus perspicue produnt. Neque enim ille veteres legit, sed ad nouorum scriptorum reculas imperite confugit. Inde est, quod de Arnulpho post Carolum Crassum in Germaniae Regem electo nihil cognoscat: latetque illi, quid Berengarius egerit senior, Eberhardi Foroiulienſis Ducis filius, Ludouici Pii ex Gisela filia nepos, omni prece ipsius auxilium implorans, seque ipsi obnoxium futurum spondens. Dabo hunc locum ex Luitprando Libr. I. cap. 7. vt quam sit rudis hic homo tanto clarius intelligatur: *Berengarius tum vbi prospera inimico, sibi aduersa prospiceret cum Zwendehaldo pariter* ARNVLPHI *Regis adiit potentiam: orans ac pollicens, vt, si ipsum adiuuaret, se* TOTAM ITALIAM, *vt ante promiserat, ditioni eius suppositurum. Qui tantae promissionis gratia excitus, copiis collectis cominus Italiam adit. Cui Berengarius, vt promissionis suae daret fidem credulitatis,* ARRABONEM CLYPEVM PORTAT. *Susceptus itaque a Veronensibus, ad vrbem proficiscitur* PERGAMVM; *quam anno sequenti obsidione cinxit, vt ibi videbimus.*

## §. IV.

De Ottone I. quae is confingit, niue Scythica sunt frigidiora. Berengarium ab eo, fatetur, subactum; ceteros vero Principes inque primis Tuscos in libertate comminiscitur mansisse. Sed recolat Lector, quae de Huberto (*) Marchione eiusque filio Hugone magno (**) in medium tulerimus, et, quam nullo pudore nugator confundatur, patefiet; sed addam tamen nonnulla, vt garrire desinat. Diserte enim continuatus REGINO narrat, Ottonem Imperatorem *Ducatum Spoletanum et Camerinorum* (***) *ordinasse*; dein in Tusciam (†) secessisse. Hubertus autem indubie harum terrarum omnium potens Marchio (††) fuit: nec dubitandum, quin idem Imperator Otberto Comiti Palatii monasterium S. Columbani in FEVDVM dederit, quod dein Huberti filio Hugoni de meliori nota commendauit Siluester II. Prius ex diplomate patet, quod publici iuris fecit Ludouicus Antonius Muratorius in *Antiquitatibus Atestinis* p. 147. alterum ex epistola 84. Gerberti, qui est Syluester Papa, luculenter probatur: vt diploma apud Ferdinandum Vghellum Tom. II. *Italiae sacrae* in vita Humberti Parnensis Episcopi p. 201. silentio inuoluam, vbi ipse Otto M. *Cum nos*, inquit, *in Calabria residebamus in confine atque planitie, quae est inter Cassarum et Petram sanguinariam, ibique nostro* IMPERIALI IVRE *nostris fidelibus tam Calabris, quamque* OMNIBVS ITALICIS, *Francisque atque Teutonicis* LEGES PRAECEPTA*que imponeremus.*



(*) cap. I. §. 8.
(**) cap. I. §. 9.
(***) ad a. 964. p. 81. edit. Pist.
(†) ad a. 967. p. 84.
(††) Luitprandus Ticinensis p. 120. edit. Reuber.

§. V.

Quocirca mirum dictu, Tuscos in summa libertate egisse, cum tamen nullum instrumentum fere inueniatur, vbi vel Imperatoris, vel iudicis imperatorii mentio non fiat; adeoque vix vereor in mentem reuocare *Defensori*, qui forte Sigonium de Regno Italiae legit, eundem hunc auctorem ad Ottonis M. tempora retulisse, quae de Italici regni ordine et oneribus recitauit Otto Frisingensis lib. II. de gestis Friderici I. c. XII. *Mos*, inquit, *antiquis, ex quo imperium Romanum ad Francos deriuatum est, ad nostra vsque deductus est tempora, vt quotiescumque Reges Italiam ingredi destinauerint, gnaros quoslibet de familiaribus suis praemittant, qui singulas ciuitates seu oppida peragrando, ea quae ad* FISCVM REGALEM *spectant, quae ab accolis* FODRVM, (*) *dicuntur, exquirant. Ex quo fit, vt Principe adueniente, plurimae ciuitates, oppida, castella, quae huic iustitiae vel omnino contradicendo, vel integraliter non persoluendo, reniti* CONANTVR, *ad solum vsque prostrata,* PROTERVIAE *suae documentum posteris ostendant. Alia itidem ex antiqua consuetudine manasse traditur iustitia, vt, Principe Italiam intrante,* CVNCTAE *vacare debeant* DIGNITATES *et magistratus, ac ad ipsius nutum secundum scita legum, iurisque peritorum iudicium,* (**) *vniuersa tractari. Tantam ei quoque iudices terrae recognoscere dicuntur iurisdictionem, vt ex omnibus, quae terra producere*

(*) Annona *fodrum* militaris est; procurationum nomine alias innotescens; neb solo equorum pabulo stramentisque absoluitur. Quod iam obseruatum a Cangio voc. *Fodrum*.

(**) Consulendus hoc loco Ludouicus Antonius Muratorius in *antiquitatibus Atestinis* parte prima cap. XVI. p. 151. vbi exemplum occurrit viuidam eius rei praxin tempore Ottonis M. in Tuscia comprobans.

*cere solet, vsui necessariis, exceptis vix* BVBVS *et* SEMINIBVS, *ad excolendam terram idoneis, de ceteris quantum necesse fuerit militi profuturis, ad* REGIOS VSVS *suppeditare aequum arbitrentur.*

§. VI.

Cui addendum, Willam Huberti Marchionis viduam mulierem magna reuerentia Ottonum nomen litteris suis praeposuisse, cum monasterium S. Mariae intra muros Florentini oppidi locupletissime dotaret: Ottonem III. vero in litteris ad Siluestrum II. a. 999. Praeceptorem suum exposite memorare, se HVGONI TVSCO octo comitatus, qui sub lite fuerunt, ipsius commendatione, tanquam LEGATO suo subdidisse, vt POPVLVS RECTOREM habeat. Extat haec epistola inter Gebertinas, estque 185. nec forte in abdito latet, quid sonet LEGATVS, quid significet RECTOR?

§. VII.

Sed haec vero et alia *audaculo* tam insolita apparent et peregrina, vt ex vltimis gentibus ipsi deducta, quae adtutulimus, videantur; adeo ille Reginonem nescit, Luitprandum Ticinensem ignorat, Ottonem Frisingensem vix vidit, inque veteribus chartis et diplomatibus excutiendis inexercitatus miles est prorsus; fortuito et quasi per transennam solum obseruans, Italos post Ottonem III. Eporediae Marchionem Arduinum diademate redimire sategisse, excluso Henrico II. omnibusque Teutonibus. Verum tamen ignorat is, saniores ab huiusmodi iniusto molimine abhorrentes sua tandem auctoritate effecisse, vt Arduinus conscientia atque armis Germanorum territus in monasterium Fructuariense se abderet, vbi lacrymis ac moerore confectus vitam tandem deposuit. Deinde perexigui iudicii libellam appendit, quando hoc in exemplo aliquid fiduciae

collocat. Est hic Italorum peruersus atque illaudabilis mos, vt, quem summo cultu sunt venerati, eum ingrato animo relinquant; quod continuatus Regino Ottoni M. σύγχρονος accurate obseruat, versatile iis ingenium tribuens, et ad defectionem procliue: *Quidam*, inquit, *ex Langobardis* MORE SOLITO *ab Imperatore deficiunt et Adelbertum in Italiam reducunt.* Potuisset *Defensor* etiam simili scelere sub Conrado Salico quosdam animaduertere obstrictos, qui Regem Galliae, vel filium eius Hugonem, vel etiam Guilielmum Aquitaniae Ducem, quam Conradum Francum, aut alium e Principum Teutonicorum prosapia Regem *cooptare* maluere. Sed cap. II. §. 22. iam commonefeci harum rerum curiosos quid senserint cordatiores, iurisiurandi Henrico Teutonibusque praestiti obliuionem grauiter rebellibus exprobrantes, hacque ratione efficientes, vt Conradus demum Salicus vnanimi suffragio a Teutonibus electus reciperetur. Hic Princeps, quemadmodum ipse apud Wipponem loquitur, legem sitientibus Italis legum abunde dedit, Florentinos ciues refractarios bonis exuit; quod apto hanc in rem diplomate cap. I. §. XIII. confirmauimus; ita vt conuictus plane sit humique iaceat indoctus *Apologetici* scriptor, Imperatores Tuscia excludens ac Mathildae et Beatrici matri nil nisi habitationis seruitutem in ciuitate superba adsignans. Quod quam sit plumbeum, semisomne et Cappadocium clarum fecimus: (*) addentes testem Welphum, Domnizonem puta, qui ipsos Florentinos tributa Henrico V. pependisse memorat; quod iterum ignotum fuit scripturienti *Wighio* hoc est, FANATICO ac somnianti, Marchiones post Mathildam inane nomen gessisse. Adeo enim nescit Friderici Barbarossae grande nomen, ac Welphi poten-

(*) cap. I. §. 15. seq.

potentiam in Tuscia insignem ; ita vt vix credi possit, in tanta luce, ac postquam Muratorius Atestinas antiquitates italico sermone scripsit, totque memoranda diplomata de hoc Tusciae Marchione, Spoletano simul ac Camerinorum Duce, edidit, animo aliquem auribusque sic posse deficere, vt sine colore tantaque cum confidentia ganniat, omnes post Mathildam Tusciae Rectores speciosum verbis, ac re inane imperium gessisse: inscius prorsus, tot Comites in Welphi huius clientela fuisse, atque eum vero in clientela magnificentissimi Friderici : quae iterum praeligati pectoris auctori ignara sunt. Saltem ei incompertus est Philippus Friderici I. filius; quidue is egerit gesseritque in Tuscia, quid cum Coelestino Pontifice ei negotii intercesserit, cumque Innocentio III. litis fuerit, tam ei obscurum est, quam ipsa Vtopia, quam prima mundi materia, quam tenebrae terrae primitus offusae.

§. VIII.

Vnde quoque, quae, Innocentio III. dominante, inter Tusciae ciuitates communitas coaluerit, ieiune omittit; quaeque, Friderico II. imperante, atque in interregno contigere, insigni saltu praeterit; nisi quod de Caroli Andegauensis vicaria in Tuscis potestate infrunita quaedam crocitet, confutata amplissime in superioribus, neque hoc loco repetenda : id interea fassus, priuilegiis Florentinos a nonullis Imperatoribus fuisse ornatos, *improprie* sumto vocabulo.

§. IX.

Ex quo perspicue liquet, *gerronem* hunc bene et nauiter imprudentem agere, quia semel verecundiae fines transiit, eoque mirum non est, si Iurisconsultis poenas det. Quid enim? priuilegium isti confirmatio iurium est, quae iam habuissent Florentini, quaeque Gibellini soli comprobari ab

Impe-

Imperatoribus petiissent; proindeque Gibellinam Florentiam a Welphica distinguit. Welphica semper in summa immunitate stetit; Gibellina non item. Quidquid solutum et pensitatum est Imperatoribus, id Gibellinorum socii soluerunt, Welphi nihil, abiurantes debitum, ac ne obolum quidem dependentes. Quod inuentum vtvt est admodum obtusum, quaero tamen: quinam Florentinam Rempublicam constituerint, Gibellini, an Welphi? qui fuerint priores artium, ac vexilliferi iustitiae, Welphi, an Gibellini? Cum his enim, *nugiuendule*, Caesares populi nomine egerunt; huic toti, non solis Gibellinis iura magnifica confirmarunt: cum vniuersa ciuitate, quae vicina oppida proprio ausu oppugnauit, quae propinquas gentes adorta, quae integras terras suo adnectere dominio ausa, in gratiam rediere, non autem cum Gibellinis, qui plerumque extra pomoeria vrbis egerunt, qui a Caesarum obsequio nunquam desciuere, (qua Gibellini erant) cum his, repeto, pacem et concordiam neutiquam stabiliuere. Quis enim iis ignoscit, qui persistunt in fide? quis pacem init cum non laedentibus? Ergo potius Welphi, Welphi fuerunt ac tota Florentia, qui publicas functiones dependere, qui secundum petita priuilegiis veris sunt ornati, qui tam inuidenda iura sine Caesarum gratia, ac priua lege habere non potuerunt, eoque manibus pedibusque omnia fecere, vt Imperatorum gratiam, fauoremque, quamdiu praesentes erant, aucuparentur. Quod satis est ad probandum, ciuitatem hanc et verbis et factis aliquando imperii auctoritatem nequaquam posthabuisse. Et tamen, vbi priuilegia deprehendit procax *Defensor*, absone existimat, ab acceptis priuilegiis ad subiectionem Florentinorum consecutionis argumentum sine ratione propagari. Eo quippe pacto ciues suos iura, quae affectassent, in tuto statuisse; atque Imperatores a finibus

nibus suis ratione perquam arguta et ciuili abegisse, cum priuilegiis eorum se vsuros, idque improprie et ἀκύρως profiterentur. Ita *Farsoni* animum ingeniumque in varias formas versat, vt, quid possit odium, temeritas et contradicendi studium, magis innotescat. Ne enim Florentini imperio obnoxii sint, iis malitiae turpitudinem inurit; ne eos Caesarum auctoritati subdat, ad hominum pessimorum, qui sunt nihili, nauci, nequam, subdoli, strophis ac fucis dediti, turbam aggregat. O egregium Florentinae dignitatis aduocatum! Itane ex fraude ac dolo malo, quem tuis aperte tribuis, cum aliud simulatum, aliud actum scriptitas, multum oppidanos, quos perdite tueris, praesidii relaturos existimas? Sane enecas me omnesque bonos ista tua subtili mirificaque politica, quam verbis neutiquam obscuris, sed satis claris exponis; documentum daturus, perinde tibi esse, ius violare regnandi gratia, pacta omnia conuellere, ac mentiri obsequiosum cultum, verba dare, decipere, nullo loco Imperatores habere, iis in speciem obtemperare, dein insultare ac ridere, in licitis a te poni ac fas nefasque iuxta putari. Verum tamen dictum tibi credas, Germanos meos nequaquam cerebrum in calcaneo gerere, nec alios populos quoque ita omnem rationem atque honestatem abiecisse, vt, quae ad defensionem imaginariae libertatis coaceruas, pro veris, iustis atque aequitati congruentibus argumentis vnquam sint habituri. Potius dubitabunt cuncti, sanus ne sis, an ludas, fucumque facere tum orbi ciuili, tum erudito cum Florentinis tuis omnia per iocum tractantibus contendas? Priuilegium non occurrit, *Farsoni*, vbi nemo est, qui indiget; sed potius per se ac suopte iure aliquis consistit atque in aere tanquam Pegasus, propriis alis innixus, volat: cumque beneficium nemini obtrudatur, verisimile sit, Florentinos petiisse; dumque ius singulare ac iurium

suorum concessionem enixe quaesiuere, in propatulo est, praescriptionem illam a te aliisque tibi similibus stolide iactatam in auras vanescere. Neque enim priuilegium cum praescriptione vna in sede moratur; cum istud verbis, haec facto et possessione continua potissimum sulciatur, illud expresso, haec tacito consensu ac derelictione absoluatur: quae sane sunt repugnantia. Verum tamen talia *Farsono* non sunt ingerenda, cui pactum, non pactum, promissum, non promissum, iurandum, non iurandum nullo discrimine habentur. Quod inde cognoscitur abunde, dum vicariam magistratuum Florentinorum potestatem non existimat cauillandam. Qui cauillatur aliquid, is calumniatur et suggillat alterius famam: vnde ostendendum quaenam haec sit calumnia, si primores magistratus in vrbe Etrusca a Caesare tenuisse vicarium imperium ac gubernatores eius dicantur? Cum enim hoc in nomine gloriati sint, et post varios labores a Carolo IV. et Ruperto istud impetrauerint, quod tabulae ostendunt; enunciandum est profecto, quid id vocabuli signauerit. Iurisconsulti sapientes rubricam de verborum significatione semper sibi commendatissimam habent, quidue dicatur, bene ponderant; necilla stolida effugia et repugnantias a vagis auctoribus admissas aequo animo ferunt. Quare denuo rogo, vtrum Florentini menti suae congruenter sint locuti, an minus? sciuerint ne, quid sit imperatoris vicarius, an nesciuerint? Quod si aliud prompserunt ore, aliudque pectore clausum tenuere, astutos quidem et fallaces eos fuisse probabis; neutiquam tamen eo effeceris pacto, vt in libertatem, quam affectarunt dolosi, reponantur, aut mandatum Caesaris pereat benignum ac verum. Sin autem intelligant, quae sit vicaria potestas, sine dubio etiam animaduertent, se non omnino in sua potestate fuisse, sed ad mandantem et committentem aliquando

do oculos conuertere debuisse. Qui Dei vicarii sunt, ab eo dependent, qui Imperatoris vicarii sunt, ad illum certe respiciant nonnunquam necesse est. At hoc illud est, quod calumniari et cauillari vocat *Italus*; cuiusque naenias tamen illo paullulum doctiores nullo negotio intelligunt. Vult namque ille, vt Vicarius sit frenis omnibus exsolutus, quem neque pudeat quidquam, qui neque metuat quemquam, neque legem habeat vllam. Et neutiquam tamen diffitetur, Florentinos esse ab imperatore VICARIOS suos appellatos. Ex quo consequitur, vt is, qui alterius vices gerit, iudicio *Farsoni* inepto, per se liber sit, nullisque iuris mandatique angustiis inclusus. Tam ille peculiarem linguam affectasse Etruscos certus est, tam argutis ille sibi interpretationibus placet, tam stolide is omnia appellationum nomina commiscet: dignus, cui panem petenti porrigatur lapis, piscemque roganti serpens, posteaquam semel statuit, verborum significationi inhaerendum non esse.

§. X.

Enim vero audiamus paullisper infirmae causae Patronum. Forte is ipsam mentem animique voluntatem inspici, nec ad verborum vana semper adtendi cupit. Eo ipso enim, pergit, vniuersam Teutones libertatem permisere Florentinis, omnemque a se in illos potestatem abalienarunt honestiori nomine vsi, ne vel apud suos, vel vicinos posteritatemque male audirent. Sed id ipsum vero coniecturam dat, et ad suspicandum ducit, Imperatores honoris ac muneris sui probe memores omnem parendi necessitatem iis neutiquam remisisse; vtpote qui omni aeuo ad augendam imperium leguntur obstricti et iureiurando sic nexi. Vnde inepta praesumtio est, Florentinorum causa Imperatores a munere regio desciuisse et sacramentum migrasse, cum tabulae interea contrarium

loquantur, clausulis conseruatricibus munitae, fidelium, subiectorumque nomina et elogia iterantes, obedientiam, ac cultum Regi et imperio debitum in animum superbae nationi reuocantes, tam clare, vt fere stupidi sit, in publica luce ad praesumtionum solitudinem se conferre, ac suspicionibus locum dare, vbi manifestum, liquidum, euidens, notissimum auribus oculisque contrectamus. Verba igitur illa et saepius memorata, secundum mores et consuetudinem imperantium potius interpretationem accipiant, atque ex aliis rescriptis, edictis, epistolis repetita ratione occurrentibus, vicinarumque gentium ac ciuitatum intelligentia firmitudinem, quam habuere, seruent, ne in ancipiti omnia humana negotia fluitent, ac vitulus pro boue, sus pro equo, ac passerculi demum pro alaudis venditentur.

§. XI.

Ea ratione non erit laborandum diu, quid demum respondendum sit Doctorum auctoritates nouo obtentu ac velamento conuestientibus, ac si isti ex propria scientia, scripsissent. Quid enim est propria scientia? An illi forte ipsimet condidere instrumenta, quibusue cordate innitimur, authenticas litteras? Cuius illi nationis sunt, cuius sectae, cuius doctrinae? an Itali, Florentini, Welphi? Denique videndum quid dicant? an pactis, ac legibus congruenter loquantur? an ambiguo sermoni operam dent? Et clarum mox fiet, eos sine tabularum inspectione vage loqui, nec illa vnquam, quibus primas deferimus, vidisse documenta: adde, plerosque media in Italia viuentes Germanos odio habuisse, multos a Florentinis mercede conductos: Saltem Angelus IC. Baldi *mendacis* frater fuit, Alexander filius Angeli; Petrus de Ancarano vero ab eiusdem Baldi ore procaci pependit; Nicolaus Vbaldus ad dictam Baldi prosapiam pertinet; Bartholomaeus Socinus Florentinorum sti-

pen-

pendiarius erat, inque vulgus innotuit: *Socini consilio opus esse, vbi veritas probari non posset*: vt Corneum iunioris Alexandri familiarem praeteream, ac Felinum Sandeum Pisis Florentinorum mercede viuentem, aliosque, qui huiusmodi fumis repletum caput gestabant, omittam: de quibus interea vere Iacobus Menochius scripsit, *olim haec* (Florentinam libertatem intelligit) *adfirmasse Iureconsultos Italos*. Quod autem addit: *et recte mea sententia*, id sane ad Florentinorum facinus pertinet, quo inflammati nec Imperatorem, nec alium superiorem de facto recognoscebant, sed fictis et ad obsequium compositis verbis illudere illis omni tempore satagebant. Quae propriae turpitudinis confessio tantum abest, vt iis iuris alicuius teruncium afferat, vt potius omni eos honestatis specie spoliet, in perpetua mala fide collocet, omnibusque bonis tandem luridum epiphonema exprimat: meruisse eos publicam, qua confecti tandem sunt, calamitatem. Minimum Ordericus Raynaldus eorum ferociam digne castigatam autumat, dum aperire denique Carolo victori portas, perfractis stolidae libertatis claustris, sunt coacti.

## §. XII.

Sed, age, videamus, quare non arrideat *graculo* Florentinae cum ciuitatibus imperii comparatio. Omnes, inquit, feudi iure sua tenent: Florentiam vero libertatem indeptam nullo vnquam tempore feudum fuisse; indeque illam similitudinem faceſſere. Quod tandem illud egregium doctrinae specimen est, quod in publici iuris prudentia prodit homo vanus, scire se aliquid opinatus. Quis enim in aurem ei dixit, ciuitates imperii ad vasallorum ordines pertinere? Falsum hoc est, inque antecedentibus ostensum contrarium; faceremque copiosius hoc loco, si cum valentiore aduersario concertandum: nam vt nunc se res habet,

vix de victoria magnopere debemus esse solliciti, quae nullam nobis laudem sit paritura. Id addendum duntaxat, omnem *Defensoris* spem eo pacto concidere, qui ingenti pseudographemate deceptus innotuit: *Florentini vasalli non sunt, ergo in summa libertate egere, nulli hominum obnoxii, non papae, non angelis, sed soli Deo. Quocirca etiam ad ciuitatium in imperio liberarum modum conditionemque redigi nequeunt.* In quo vnum solum verum est, Florentiam iis non prorsus extitisse similem: vtique ad publicas imperii deliberationes nunquam est admissa; cum ceterae suffragium in regni Teutonici senatu dicant, decidantque cum reliquis ordinibus dubias publicae rei causas. Ceterum alibi demonstratum, ciuitates imperii neque *feuda*, neque *allodia* esse. Erant illae suntque adhuc *domania* Regis. De *domaniis* autem illepide quaeritur, sintne *allodia*, an *feuda*? Atque hinc prouenit, quod ii, qui regia iura exercent, ea ex Caesarea commissione perpetua exercere dicantur; cumque nunc a praefectis eorumque regimine sint liberatae, propriisque Magistratibus vtantur, eo magis liberae atque immunes nominari possunt. Rursus aliud ζήτημα est, an huius generis vrbes alia accipere in feudum queant? de quo nunc non est disceptandi locus. Sufficiat Florentinis, nos earum vrbi in Italiae ciuitatum liberarum classe locum dedisse; quas ratione imperii summi, cui subiectae omnes sunt, cum Teutonicis contulimus, Graeciaeque ciuitatibus ἐλευθέρως. Ad suffragium autem ferendum nunquam illae sunt admissae neque vocatae.

§. XIII.

Cui vix obest, quod de Friderici III. conatu adfert compilator. Merito enim tali illum nomine compello; quandoquidem pro explorato habendum, nunquam eum Aeneae Syluii epistolas legisse, sed fortuito ex Lipsiensi diatriba

triba aliquid in suos loculos arripuisse, cuius auctor alio fine *epist. 125.* adduxit, in qua Fridericum III. Florentinos ad conuentum in imperio, quem meditabatur, inuitasse memorat. Enim vero neutiquam is intellexit, qua de causa vocauerit Fridericus Florentinos. Ac iurarem, existimasse defensorem ieiunum, solam hanc ciuitatem ad hoc concilium accitam: cum tamen et Ianuenses, et Senenses, et Lucani similes litteras acceperint, vt Francofurti praesto essent atque oratores mitterent. Similiter ad Galliae, Arragoniae, Daniae, Sueciaeque Reges aliosque scriptum est. Vnde absonum prorsus, quod opinatur *Farsoni*, arcessitos peculiari ratione Florentinos, nimirum, vt ipsorum communitas ciuitatibus imperii Germanici sociaretur. Tota enim epistola de societate contra Turcas ineunda agit: ad hanc congregandam Fridericus tum temporis ingenium appulit; vt, magnis opibus exercitibusque coactis, Turcarum tremendae acies totius christiani orbis viribus repellerentur. Quemadmodum vero illepidum prorsus foret, existimare, Danos, Gallos, Hispanos, Suecos imperii statibus adnumerandos censuisse Imperatorem; ita aeque insulsum est, huiusmodi ei propositum tribuere de cooptandis in hanc classem Florentinis. Multo minus credendum, Florentinos, quia sic vocati, Regibus fuisse aequatos. Vocatos namque cum externis principibus Regibusque omnes imperio subditos in iisdem litteris legimus, regnique ciuitates vniuersas; et has minimum summorum principum ordini agglutinabit nemo. Proinde iterum errore labitur non ferendo, dum Florentinos non paruisse somniat vocatos, ne ciuibus Imperii pares haberentur. Totum enim istud orbis christiani concilium in irritum cecidit: excusarunt se Galli, Angli, Dani, Sueci; et, quod Aenaeas Syluius in epistola, quam excitauimus, futurorum prudens

dens Leonardo viro nobili scripsit, praedixitque, certissimo euentu comprobatum est, nempe, totum hoc opus omnemque Pontificis conatum apparatumque Imperatoris verbosum in nihilum recasurum. Vnde ad liquidum perducitur, vniuersam tam eminentis rei speciem, quam per somnum vidit *Farsoni*, quaue circumamictus aliquandiu in museo suo obambulauit, miram atque insciam lepidamque imaginem fuisse.

§. XIV.

Simile commentum est, quod ille de Blesensi foedere Maximilianum inter et Ludouicum inito fabulatur. Etsi enim fatemur, tertium nihil praeiudicare mihi tibique; adeoque et Florentinis nihil oneris Ludouicum XII. imponere potuisse; tamen haud obscure inde constat, quid cogitauerint Galli de Florentina Italiaeque ciuitatium libertate, et quare illi eorum caussam habuerint pro derelicta. Maximilianus vero ex postfacto ostendit, quid sibi animi sit, quidue iuris, dum Lucanos, Senenses ipsosque Florentinos officii admonuit, postremosque coegit, vt Veronae per oratores pacem peterent, pecuniam soluerent, iurium suorum confirmationem obtinerent. Qui autem iura confirmat, is vel largiri censetur, quod alioquin foret infirmum, vel, quod ipse et maiores dedere, ratum habet, suaque auctoritate maiorem accipienti securitatem conciliat. Stultus enim foret, qui, quod suopte iure habet, sibi petat, vel solum patiatur firmari ab eo, quem superiorem esse intelligit, ac libertati suae aduersari cognoscit. Et sumo haud temere, Maximilianum Florentinis status quaestionem mouisse: id non solum publice actitata loquuntur, Blesenses tabulae monstrant, Episcopi Gurcensis vndique publicata argumenta comprobant; verum etiam ciuilia verba, quibus Florentinae communitatis sodales compellauit, sibi imperioque

rioque subiectos nominando, abunde colluſtrant. Ad quae *Cauſidico* nihil, quod reponat, ſuccurret, niſi quod ſaepe occinit, DICIS CAVSA omnia videri facta: Florentinos iam reapſe libertatem habuiſſe: ac, ſi quid Maximiliano pependiſſent, id Piſarum cauſſa factum, quam vrbem paucis abhinc annis ſuae ditioni ſubiecciſſent: nec multum deceſſurum libertati ſuorum, etſi Maximilianus quoque iura ipſis generatim confirmaſſet, ac ſpeciatim: facere confirmationem *ad bene eſſe*, quemadmodum alicubi loqueretur Baldus: fieri enim non poſſe, vt, quod non eſt, confirmetur, ac confirmationem neutiquam poſſe retrotrahi in praeiudicium tertii: quae poſtrema a nobis ſunt adiecta, vt fortior fiat dicaculi oratio, qui ne ſpecie quidem amicire ſua intelligit.

§. XV.

Quare ad illa quoque, quae poſſent obduci reſpondebimus. Prorſus quippe falſum eſt, ea, quae confirmantur, ita perfecte iam adeſſe, nihil vt adiici debeat. Sicuti enim is, cui beneficium, ſeu feudum competit, ſine reuocatione illud retinere non poteſt; ita, qui ex mandato vicariam poteſtatem exercet, illam, cum mandans exſpirat, retinere nequit, niſi is, qui ſingulari titulo ſuccedit, ratam habeat commiſſionem et mandatum anteceſſorum ſuorum, quod ex Ruperti litteris vrbi Florentinae datis illico pateſcit. Vnde eſt, quod ciuitates imperii pleraeque denuo ſemper obedientiam ſpondent, poſtquam nouus Rex ſceptra capeſſit, atque hic magiſtratibus eorum regimen confirmat. Deinde amplius obſeruo, indagandum eſſe, a quo quis imperium ſummum feratur conſecutus, ac ſpeciatim, vtrum Florentini mero facto acceperint, an Caeſarum demum indulgentia? Prius quidem illi adſeuerarunt olim; ſed inargute, cum ſine conſenſu capitis et membrorum nihil detrahi de ſummo imperio poſſit, factumque merum non niſi ſpolium ſit,

ac praeda iniusta: imo factum contra leges et iura tam aeterna, quam arbitraria, habetur pro non facto: vt taceam, non solum factum, sed causſam facti nunquam non esse considerandam. At causſa quae est tandem iusta? Supra enim clare recordamur ostensum, semper contraiuisse Imperatores, ita vt nec Rudolphus excipiendus sit, nec Adolphus, nec Albertus, nec Henricus Lucenburgicus, nec Ludouicus Boius, nec Carolus IV. Recordetur Lector eorum, quae de hoc Carolo (*) in medium sunt adlata. Fassa est tum temporis tota communitas Florentiae, se annuum soluturam centum: vt omittam, quid, populo aliquot annis incenso, per auersionem, tolerabili licet foenore, numerauerit ista. Etiam, quod nunc demum deprehendo, Wenceslaus, imperii sui initio, primoque quinquennio, iura regni neutiquam neglexit. Inuenio quippe apud Stephanum Baluzium *in notis ad vitas Paparum Auenionensium* Tom. I. p. 1200. hunc Regem VICARIVM SVVM GENERALEM IN ITALIA *et vltra montanis partibus constituisse, Iodocum Marchionem Morauiae, eique iniunxisse, vt, cum in terras potestati suae commissas aduenisset, inquireret diligenter, quis duorum de Papatu contendentium esset verus Papa, Bartholomaeus ne, an Robertus, et illum, quem verum et legitimum Sponsum sacrosanctae Romanae ecclesiae et beati Petri successorem esse sibi constaret, in verum Papam recipere-ret, et protegeret, alterum vero perditum et intrusum expelleret, et vltore gladio tanquam totius Christianitatis inuasorem et humani generis inimicum persequeretur.* Extare has litteras in codice MS 814. bibliothecae Colbertinae Baluzius αὐτόπτης testatur, eaeque scriptae sunt a. CIↃ CCCC LXXIX. quo solennem ac primum imperii conuentum Noribergae, cele-

(*) cap. I. §. 62.

celebrauit, PESSINA in *Marte Morauico* Libr. IV. cap. III. diligenter ex *gestis Wenceslai MS.* hoc adnotante. Vnde forte deducendum Francisci Petrarchae de Wenceslao praesagium, magna minari hunc iuuenem florentissima aetate conspicuum scribentis: quod tamen postea in vanum recidit. Nobis sat est, nec ignauissimos Principes iura Italiae posthabuisse, multo minus Reges, qui Wenceslaum excipiunt, permisisse, vt Florentia plenissime immunis ageret: Ruperti litteris extra dubium vniuersa statuentibus, ac Maximiliani priuilegio, de quo Florentini historiarum auctores ipsimet non silent. Quamobrem concludendum denique, Caesares vel confirmasse Florentinis iura antea nulla, atque sic firmando *dedisse*, cum quod nullum est, sine noua datione intelligi nequeat; vel, si quid iam acceperunt ab illis, renouasse ac Florentinos semper admonuisse, ne maiestatem imperii, excussa reuerentia, posthaberent; sed in illius memoriam quotannis certum argenti pondus exsoluerent, quod ciuitatibus velut peculiare onus imponebatur; cum viciſſim Vasalli Principes, Marchiones, Duces, Comites ab annua praestatione in Italia liberi fuerint: si Borsum (*) Ferrariensem Ducem excipias, a quo sibi tria aureorum millia annuatim stipulatus est Fridericus III. simul atque seorsum colloces, quod a Francisco Sforcia dari sibi idem Imperator voluit, Aenea Syluio id referente in vita Friderici III. Et iam vero vtiliter accipio, huiusmodi confirmationes fuisse repetitas: quod profecto indicio est, nec Teutones obliuioni iura sua dedisse, nec Florentinos etiam illam priscae obligationis imaginem ex animo delere potuisse; ita vt nunc penitus collabatur istud ineptum: DICIS CAVSSA, vbi tot sacrata instrumenta, ac concessiones iteratae et recognitio-



(*) vid. L. Antonii Muratorii *les droits de l' empire sur l' état ecclesiastique* c. 27. p. 273.

nes certissimae contrarium prorsus persuadent. Simulatio vero vti nec in dubio praesumitur, sed probanda est; ita contra scripturam multo minus audiendi sunt, nisi alia scriptura aeque clara contrarium demonstretur, vel testes adsint classici, simulatque praesumtiones robustae. At certum est, scripturam in contrarium deficere, testes fide dignos deesse ac praesumtiones hisce iungendas nusquam comparere: vt ne dicam instrumentis publica fide omnibusque iuris clausulis munitis, ipso Bartolo arbitratore, exceptionem simulationis perperam opponi. Id addam, simulationem videri actum vtriusque partis consensum requirentem, in quem deliberato animo et ex caussa descendant pacisscentes, nec vnius adseuerationem sufficere, vt negotium sine anima maneat, et velut corpus sine spiritu intereat. Quis vero est, qui de simulatione tam illepida proferat, quam Florentini soli, nec tamen sapientiores ex illis, sed homines audaces, nulla fere iuris cognitione imbuti, sed *Farsoni*, qui, quoties cerebrum mouet, in vanas mentem imagines euocat, multumque inter verum et falsum, quo arrogantior et indoctior, caliginis fundit? Imperium quippe omnia negat liquidissimis documentis innixum; ille vero lucidissimo sub sole mera falsa fundit, et alios fallere conatur; vtut ipse meliora edoctus, non fallitur. Quod autem amplius venditatur, ac si Maximilianus ob solam Pisanam rempublicam in manibus Florentinorum relictam tam amplum iis priuilegium concessisset, a falso proxime abest: de quo Iacobus Nardi Historicus Florentinus ciues suos melius instruat, censum ab Imperatore exactum referens antecedenti aetate non solutum; idque diploma copiosius ostendit, in quo non Pisae solum iis addicuntur; verum etiam ad ceteros tractus priuilegii fructus extenditur, ac speciatim omnia distincteque leguntur expressa, ne vlla dubitatio superesset, Caesaris iurisdictionem

nem in singula, quae tenent, Etruriae loca negantibus. Quod enim speciatim partiteque exprimitur, melius memoriae infigitur, eoque pacto sollicite magis commendatur, ne vel obliuionis exceptio audiatur in posterum, vel generale minus, quam speciale continere dicatur, aut vaga locutio huic, potius, quam reliquis in genere latentibus applicetur. Cuius rei efficientia hoc loco inprimis cernitur, vbi ad solas Pisas conuentio cum Maximiliano, errore manifesto, restringitur, cum potius, quidquid vnquam facultatis ac iurium in territorio habuere suo, nominatim ac summa cura legatur signatum; idque non in *speciem*, sed *serio*, quemadmodum in Blesensi foedere Florentinos, Senenses, Lucanos non per iocum, sed seuera animi intentione SVOS et IMPERIO subditos nominat. Vnde infertur, nihil pro neglecto habendum, sed residuorum iudicio, quos debuere, denarios esse recuperatos. Quod satis est ad confutationem eorum, quae ad infringendum, aut minuendum Maximiliani I. priuilegium parum callide sunt excogitata.

## §. XVI.

Nunc videamus, quibus *ille* offuciis vtatur, quibusue praestigiis, dum ad Caroli V. gesta et actitata cum Florentinis transilit. Continuo namque foedus Barcinonense crepitat: inque hoc latitare totius fundi felicitatem repetit; vtpote in quo nihil de Florentinorum rebellione ac subiectione offendatur. Verum tamen sapientius feciſſet semicruda rerum peritia adspersus, simulatque phantasticus auctor, si de tabulis illis tandem aliquando tacuisset. Aut enim approbauit Carolus eo temporis momento Florentinorum facinus cumque Gallis initum foedus, aut improbauit. Si prius, quare Medicaeos non solum putauit reducendos, sed etiam pace excluſit Florentinos? Quare eorum oratores de libertate sua multa specioſe loquentes,

omnemque obedientiam in futurum Ianuae demississimo cultu pollicentes ac libertatem suis stipulantes sine solatio dimisit, ni eorum improbasset factiosa consilia, cumque Gallis initam coniurationem? Igitur improbauit et castigandam illorum licentiam existimauit; nemoque ea de re dubitabit: nisi quidem ridicule aliquis existimet, admodum arrisisse Carolo Gallorum per Italiam grassationes, inque Apulia direptionum atque incendiorum miseranda vestigia. Ipse Varchius, qui instar oraculi ceteroquin a Defensore consulitur, Imperatorem, inquit, respondisse paucis, *che si rendesse l' onore al Pontefice*, hancque eius fuisse mentem, vt *Medicaeos reciperent*, sicuti Barcinonae promisisset Papae: Caesaris Cancellarius vero explicatius oratoribus ingerebat, quae sit Caroli sententia breui responso comprehensa. A fide, aiebat, Imperatoris desciuisse Florentinos cum Francisco Rege belli societatem habentes, et auxiliares copias Lauterecio submittentes, Neapolitanum regnum inuadenti: perdidisse illos propterea omnium PRIVILEGIORVM suorum fructum, libertatemque, si quam habuissent, in commissum cecidisse; nihilque remedii supersesse ad Caesaris gratiam et fauorem consequendum, iratumque animum ipsius placandum, quam si obsequerentur sacris iussis. Eo pacto clementiam sperandam, sin secus, omnia extrema iis fore exspectanda, quae perfidia ac rebellio superbae ciuitatis meruisset. Haec Varchius, cuius ipsissima verba ex libro IX. p. 234. hoc loco exhibebimus: *Andarano poi a trouare il gran Cancelliere, il quale aspettaua il Capello d' ora in ora, e gli racomandarono con molte parole, e per molte ragioni la Citta; ma egli assai rigidamente rispose loro, quasi Firenze fusse* FEVDO DEL IMPERIO, *che i Fiorentini, per auer essi mandato le genti loro in aiuto de Re di Francia,*

*cia, a Monsignore Lutrec, contra la Maestà dell' Imperatore, aueuano tutti i loro priuilegi antichi perduto, e consequentemente della loro Liberta, per si graue excesso, e mancamento caduti; pur nondimeno, se si sottometessero alla Santità del Papa, ch' era pur lor Cittadino, e benemerito della sua Patria, e lo riceuessono in casa in quel modo ch' egli era innanzichè nel cacciassero, si potrebbe perdonare all' ingratitudine, e perfidia loro, senza curarsi, per la umanità, e benignità dell Imperadore di gastigargli, come per la* FELLONIA (*) *commessa, e per la ribellione loro, meritato aueuano.*

## §. XVII.

Futilis *Defensor* nihil hic offundit, quam iratum Ministrum talia solum respondisse: ipsum Caesarem de Florentinorum subiectione ac seditione responso suo immiscuisse nihil, vt qui probe tenuisset, Clementis hic rem agi, non suam. Quod perinde est, ac si clare enunciaret infelix *Aduocatus*: administrum Imperatoris ac magnae experientiae Virum a Domino suo dissensisse: hunc vrbem Florentinam liberrimam censuisse, illum imperio obnoxiam, hunc pro hostibus duntaxat ciues Gallis sociatos habuisse, illum pro rebellibus: cum tamen nemini obscurum sit, Principes breui oratione vti, nec cum legatis, multo minus cum

(*) Cancellarius FLORENTIAM obnoxiam imperio dixit. *Felonia* namque perfidiam indicat, cuius sane rei erant manifestissime. Nec sequitur: feloniam ciuibus huius vrbis imputat, *feudum* igitur eam imperii verum dixit. Est haec interpretatio *Varchii*, non vox *Cancellarii*. Feloniam committit, qui fidem frangit. Nec fas est, vt Historici suas coniecturas pro veritate venditent, aut Ministro tribuant, quod diserte adfirmauit nusquam.

cum refractariae ciuitatis missis pluribus verbis solere disserere, aut disputare. Quod si ipse Varchius hanc rediret in vitam et *Farsonum* tam petulanter sua captare verba comperiret, dubium non est, quin aut cauillatorem sit nominaturus, aut extreme malignum. Ipse enim, cum Cancellarii verba sententiamque recitasset, subiicit: *Non si dubita, che queste parole venissero da Roma dalla bocca di Clemente, e si dicessero, con* CONSENTIMENTO *di* CESARE. Vnde nouum specimen capiat Lector, quam sit bona fide plenus Etruscae caussae *patronus*, quam a fraude et fuco alienus. Caesaris praescitu ac consensu VARCHIVS administrum ac magni operis adiutorem dicta ratione disseruisse testatur: et is vero proprio ausu tam acerbum, ac molestum oratoribus responsum dedisse fabulatur: ad VARCHIVM interea gloriose prouocans, vt imperitioribus, qui hunc auctorem non legunt, ac multa sine examine, falsa saepe veris praeferentes, recipiunt, nefarie illuderet. Quod luculenter probat, quam sit hic homo falsiloquus idque circo dignus, in quem paullo seuerior stringatur calamus, vt sic bene lotus depexusque in publico calumniari desinat.

## §. XVIII.

Verius est, ipsum Carolum etiam de Florentinorum rebellione responsioni suae aliquid inseruisse, quemadmodum Guicciardinus Lib. XVIII. indicat, cui magis, quam Varchio credendum, ac caussam Pontificis suamque et imperii sapienter separasse; vt qui auri magno pondere, quod offerebant, spreto, absolute et accurate Clementi satisfaciendum prius cupiebat; auscultaturus deinde illorum petitis, nouisque, quas ferrent, conditionibus pleniſſimo eam in rem mandato instructi. Id ipse VARCHIVS iterum adnotat, subiiciens, clausisse Imperatorem omnem iis ad se accessum, cum mandato *conditionem seruandae* LIBERTA-

TIS

TIS intelligeret insertam; metuisseque oratores, ne custodiae manciparentur. Ac docuit sane euentus publicaeque Caroli V. tabulae (*) loquuntur, quas aut non legit inficetus defensor, aut dolo penitus dissimulat, quam is ad animum reuocauerit veteres iniurias prehensaque in se arma a perfidis ciuibus tulerit inique. Mirum est, *Farsonum* continere procacem linguam, nec adfirmare: dicis caussa obsessam Florentiam: non serio oppugnatam vrbem et expugnatam: in speciem fame omnique malo pressam: ficte deditionem factam: simulate Alexandrum Medicaeum Principem senatusque praesidem dictum; inprimis cum non suffundatur pudore, insimulare aulae Caesareae scribas turgescentiae ac stili multo, quam deceret, iactantioris, posteaquam veritate conuictus forte viderat, Caesarem in saepe nominata municipali lege cum auctoritate loqui, ac Florentinos hostes appellare, qui, posthabita obedientia sibi et Romano imperio debita, sese Gallorum copiis nefario consilio iunxissent. Haec et reliqua stomachum mouere *viro* aliis imaginibus distento, vt in conditorem diplomatis Carolini detonaret, ac, per auersionem, modum scribendi, quo vti solet curia imperialis, magnidicum diceret, ne demum fateri cogeretur, reapse Carolo libertatem a Florentinis affectatam displicuisse, quandoquidem ea ratione in subiectorum censum ac ordinem sint relati: omnium iurium ac priuilegiorum extorres ac serui futuri, nisi sola Caesaris indulgentia melioris sortis compotes reddidisset. Quod vix mirandum in apologiae auctore fabulas semper meditante, publica instrumenta spernente, omnisque historiae annales conspurcante, ni quid forte leuidense inueniat, quod ementito colore suis adaptare somniis queat.



(*) vid. cap. I. §. 22.

## §. XIX.

Adeo enim iterum ille cerebrum exagitat suum, tamque insulse rationes subducit, vt Alexandrum nunquam se subiecisse Carolo scribat, Alexandrum, qui *imperiali auctoritate* Florentinae ciuitati solenni priuilegio est praefectus, quod aeternum obseruent ciues, Caesaris et imperii POENAS, si secus faxint, seueriſſimas subituri. Quae sicuti repugnantia sunt, nec nisi infantibus persuadenda; ita e contrario perspicue constat, illum, qui priuilegio et lege municipali Imperatoris in altum surrexit, non solum ad gratum animum exhibendum semper illi videri deuinctum; verum etiam ita subiectum, et adstrictum, ne aliter, quam lex decreuit, imperet, aut ordinem suo arbitrio peruertat, siquidem verum est, Florentinos Caesaris singulari indulgentia libertatem recuperasse.

## §. XX.

Quare fac comprehendas animum, *Farsoni*, et dum, quae fieri non possunt, saepe fingis, iam demum possibile fingas, Alexandrum subruisse omnem, quae ciuitati reddita est, libertatem, atque a priuilegii littera alienam sectari viam constituisse, quid ciuibus tuis praesidii ac tutelae credis superfuisse? ad quem confugissent isti? quem elegissent IVDICEM? Si dicas neminem: quid illis quaeso restituta prodest libertas? Si respondeas, CAESAREM: quomodo is poterit esse iudex et vel absoluere, vel condemnare illum, qui in absolutissima libertate victitat? Quocunque te vertas, captus eris; nisi quidem dicis caussa libertatem Florentinis redditam noue fingas. Ac sic illi erunt Caesaris imperiique, aut Alexandri impotenti nullisque limitibus circumscripto imperio subiecti. Itaque agnoscas, rogo,

rogo, soloecismos tuos, atque tum populum, tum Ducem populi auctoritati Caesaris subiicias: haud immemor, absonum videri, membra subdi Caroli et successorum arbitrio, eosque puniri atque ad officium redigi; et caput interea omnia pro lubidine agere, atque Imperatorem impune negligere, eumque, qui populi Dominus est, legeque sempiterna constringit, dignisque scelere poenis illum afficit, dominum *Principis* non esse, qui sine populo suo, quem Teutoniae atque Italiae Reges iure plectunt, ne quidem mente signari potest. Ita, *ineptule*, nouo ratiocinio intelligis, quam contraria et dissona in vulgus dissemines teque ipsum inextricabiles in difficultates coniicias.

## §. XXI.

At in diplomate, inquis, Carolino ac lege municipali nihil de subiectione Alexandri additum obseruatur: subiectio autem facti singularis est, factum debet probari, inprimis cum libertas inaestimabilis non solum res sit ac praesumatur; verum etiam haud facile, nec, nisi disertissimis verbis remittatur. Quibus illico repono: neminem credidisse, aliquem tam omnem eiurare rationem posse, vt ea de re dubitaret, nec ipsum Alexandrum dubitasse vnquam, verendam sibi Caesaris maiestatem; ac standum lege ac priuilegio, ne iure suo ipso facto excideret; eoque actum agi existimarum, si de supremo imperio in orbis conspectu exercito disertim aliquid commemoraretur. Adde, ipsum Alexandrum ad conquestiones ciuium elidendas, post aliquod temporis interuallum, Neapolim contendisse, ne Socer aliquid in ipsum seuerius statueret; ac Caesarem vero exulibus respondisse, se Florentiam iturum atque in ipso loco et ciuitate de impactis Duci criminibus cognitu-

rum. Saltem id Rabelaesius tradit in ea, quam supra (*) adduximus, epistola. Quid vero est cognoscere? iudicare: estque fere, IC. Connano obseruante, Principum. Quid iudicare? Suum cuique tribuere atque secundum legis tenorem decernere. Quae lex? Atque haec iam est adducta, edita, omniumque oculis exposita: vt cetera indicia taceam, quae cap. I. accurate signauimus, non repetenda hoc loco: dummodo meminerimus, Imperatorem postea, cum de libertate, Alexandro interfecto, permulti petulantius garrirent, *superioritatem* sibi et imperio apertius reseruasse, ne de absoluta immunitate aliquid cogitationis etiam in stupidissimorum hominum animos irreperet. Nec praetermittendum, de summo imperii iure dimisso hoc loco disceptari, cui sane nunquam est renunciatum, neque verbis, neque facto. Non hoc, cum IMPERIALI AVCTORITATE pro se et haeredibus masculis legitimis totaque cum familia Medicaea eiusdem sexus Senatus Princeps, refragante vtut populo, Alexander, facto renunciationi contrario, est constitutus; non illis, cum tanquam legislator loquatur Carolus; nec tam eminenti iuri renunciatum illico censeatur. Renunciatio namque quaedam donatio est: donatio non praesumitur, sed clarissimis Imperatoris imperiique verbis est exprimenda. Vbi autem leguntur illa clarissima verba? vbi specialis inuenitur translatio? Sume amplius, libertatem esse populo datam infinitam: ita eam non habebit Alexander: fac finitam: sic ille tanquam populi primus non alia, quam limitata populi fruetur. Sed audio: Carolus fuit Alexandri foederatus. Vbi igitur et quando tale cum eo foedus initum? Cuius interuentu? Quis foedus pangit cum homine ignoto, quiue patrem ciere non potest? qui ne quidem Medi-

(*) vid. cap. I. §. 79.

Medicaeam haereditatem ex regula cernere potuit? qui nihil possessionum, nihil terrarum habuit? qui omni nobilitate, omni lumine, omni etiam virtutis excellentis praesidiis erat destitutus? Quare detur, Pontificem interueniſſe, eique promiſſum, vt Alexander Ducis Pennae nomine parumper inclarescens Florentinis imperet: an designatus est statim imperandi modus? Cui relicta stabilis et immota definitio? Si dicas, Clementi, falsum dicis. Si adfirmes, Alexandro, a vero aberras. Si autem Caesari reseruatam fatearis tandem, veritati consentanea profers. At subsistendum tamen, nec concedendum, in foedere Barcinonensi de hisce cum Clemente transactum. Nec enim illis in tabulis, nisi desiderii, quo ardebat Pontifex de reducendis Medicaeis, vaga mentio fit, eiusque propositum et arbitrium, hoc est, opinio non improbatur. Quis autem somniet, Alexandrum maiorum suorum iura solum recuperasse, qui tanquam nothus Medicaeos maiores appellare nequibat? qui, quod etiam illi habuere, ambire vix poterat, maculam secum ferens illegitimae geniturae? Sed maculam finge sublatam interuentu Clementis, aut concessu et auctoritate Imperatoris, quis nunc credat, maiori auctoritate, quam qua fuit olim, Alexandrum non esse reductum? Itaque inferendum, nouam ordinationem, eiusque modum eminentem a Caesaris lege recens permanasse, de qua ferenda et ordinanda tum demum est statutum, cum ciues ab obsequio imperii abalienati vi atque armis coacti ad officium redirent, ac Domini indulgentissimi voluntati se suaque, preces inter et lamenta, permitterent. Quare Imperator suo omnia arbitratu perfecit, nec populum pro clementia sua penitus oppressit, nec Alexandri potestatem plus nimio auxit, sed populi Senatusque in pristinam libertatem restituti PRIMVM dixit. Ex quo consequitur, vt

ius praerogatiuum Alexander ac populus, cuius erat caput libertatem alieno beneficio sint indepti. Sed populus vero legem accepit, Imperatori iurauit, eum coluit, veneratus est, gratiasque immortales habuit, quod eius priuilegia non penitus extinxerit. Igitur quae ciues obtinuere, eorum quoque particeps factus est Princeps populi: cum absonum sit, membra separare a capite, Senatum a Principe, sine quibus Princeps et caput ne quidem mente depingitur ac multo minus cum iure eminentiori. Qui vero legem imperatoria auctoritate munitam, sanctam et inuiolabilem accipit, nec ipse migrare illam vllo pacto potest, is certe ἀνυπεύθυνος non est, sed ei potius, qui legem propriam et immutabilem sanxit, perspicue obnoxius. Vnde per se euanescunt inficetissimae gerrae de foedere, quod est inter pares, aliquid intonantes, nusquam nisi in insanientium perturbatissimo cerebro recipiendo.

## §. XXII.

Quocirca mirari subit, *Farsonum* adhuc amplius inanem opinionem mediam amplecti, et osculari, deque libertate electionis post Alexandri fatalem horam tam male cohaerentia in vulgus proiicere. Putat enim iste, eligendi arbitrium non penitus cessasse: quid? quod abfuisse parum, quin Iulius Alexandri filius non legitimus in Principem ciuitatis cooptaretur: documento clarissimo, facultatem eligendi Florentinis neutiquam fuisse ademptam, vt qui deliberassent, Iulius ne, an Cosmus esset in principatum sufficiendus? Quod quam sit futile, et ab omni veritatis sincero cultu alienum, mox patefiet. Quis enim elegit Iulium, aut eligendum illum proposuit? Refert quidem Varchius Lib. XV. p. 595. Dominicum Canigianum proposuisse aliquid de hoc Iulio nondum quinquenni in Patris locum subuehendo; sed risu exceptum, cumque omnium indignatione

ne

ne reprobatum consilium simul adnotat: existimantibus plerisque, monstri aliquid alere Cardinalem de Cibo, eumque Dominico vel talia suadendi auctorem fuisse, vel ipsum Dominicum eius hac ratione aucupaturum gratiam speras-se: in quo tamen admodum est deceptus. Cardinalis enim a Caroli V. lege ne latum quidem vnquam censebat recedendum, qua filii naturales Medicaeorum a principatu solenniter leguntur excluſi: Cosmum potius populo commendans, in quem, Laurentio parricida fuga, elapso, eminentissima Ducis dignitas Caesaris decreto conuenienter esset transfundenda. Maior enim natu in Medicaeis erat. Quae omnia certissime comprobant, id agere *Defensorem*, vt inter caecos regnet; et vicissim apud bonos dedecore et infamia vrgeatur, dum leges, pacta, sacramenta, licentiam, perfidiam iuxta putat.

## §. XXIII.

Quae enim impudentia est, populo tribuere electionis ius, quod Caroli V. decreto ipsi penitus erat ereptum? Quae stupiditas, Dominici ridiculum conamen pro Florentinae gentis suffragio ac voce venditare? Sed tenendum pro certo, hunc hominem persuasum habere, Florentinos a Carolo iniuste oppressos sumere ac tribuere sibi omnia iterum potuisse, vtut solenni sacramento promisere, se Imperatoris voluntati acquieturos. Eo enim verba *audaculi* pertinent, armis imminentibus ac belli formidine ingruente disceptationem iuris siluisse, suosque *potentiori* succubuisse. Quod documento est, quam sit ipsis Medicaeis infestus, nullo alio iure, quam Caesaris lege regnantibus. Fac enim, Iulium naturalem Alexandri filium electum, et tum sane non imperasset Cosmus, non Franciscus, non tota huius familiae posteritas. Igitur rursum redibit ineptum epiphonema: DICIS GRATIA ac νόμῳ χάριν omnia esse facta, nihil transactum, nihil

nihil sempiterno decreto statutum. Sed non est necesse, vt, quae primo capite copiose sunt disputata, iterum apponantur ad Farsoni ludos, naenias, praestigias, atque imagines refellendas. Successit Cosmus, non populi arbitrio, sed municipali sanctione necessario euehendus. Id tamen obseruandum, merito hunc RABVLAM imaginoso morbo afflictum fratribus Sancti Marci socium dari, de quibus VARCHIVS sequentia memoriae prodit, postquam Alexandri caedem innotuisse populo recensuisset: *A vna incredibile confusione di tutte le cose, tra letizia, e dolore, speranza, e timore, s' aggiunse, che i Frati di San Marco, e la parte Piagnona, tosto che fu chiarito il Duca esser morto, si risenti tutta, e pieni di baldanza andauano dicendo a chiunque riscontrauano, non solo per le Chiese, ma per le vie; Questo esser quello, che* SPIRATO DA DIO *aueua tant' anni innanzi predetto il Frate, e che si conoscerebbono ora, e adempirebbono le sue verissime profezie, e che Firenze non solo ricuperebbe la sua antica Liberta, ma la si goderebbe in eterno con tutte quelle grazie, e felicità, che al Popolo Fiorentino erano state da Dio per la bocca di lui profetate, e promesse; e trouauano molti, i quali per semplicita le credeuano, e molti, che per astuzia faceuano le vista di crederle.* Sed hi prophetae cum ceteris, libertatis figuratione altoque errore se ipsos confundentibus, ludibrium debuere vniuersis, cum lex Caroli vitam reciperet, ac Cosmus priuilegio imperatorio ad reipublicae clauum vere vocatus regnare inciperet, ac dignitati speciosae Caesarei oratoris interuentu publice initiaretur, addita codicillis clausula conseruatrice, SVPERIORITATEM Caroli, eiusque successorum, atque imperii in tuto collocante; sed quam forte denuo in speciem adiectam, inter varia visa diuersosque *φαντασίας* abortus, tacite repetet tot idolorum *comfector* feralibusque imaginibus agitatus *Declamator*.

§. XXIV.

## §. XXIV.

Quibus luminibus parum officit, quod de ipsius Cosmi audaci consilio inspergitur, eandem libertatis imaginem reuocante, cum magni Ducis titulo praegnantem animum gestaret. Neque enim quaeritur, quid factum fuerit a Cosmo AMBITIOSO, sed quid faciendum legi congruenter fuisset a Cosmo MODESTO, grato, ac rationem audiente, non autem cupiditati immodicae sine consilio obsecundante. Saltem verissimum est, Maximilianum II. huiusmodi obtentum merito appellasse absurdum. (*) Quid enim absurdius est, quam approbare repugnantia, hoc est, Caesaris auctoritate, decreto, ac legis municipalis fauore petere et accipere Principatum, ac dein electionis titulo gloriari, ac populum nominare, cui nihil erat iuris relictum, quodque hac parte seruiebat, et capite minutum nullum πρόσωπον, nullamque personam habebat, nec, si habuisset, sceptra inuiso omnibus COSMO porrexisset? Ac precarium est, itemque vanum molimen, multa de libertate, quae sit res inaestimabilis, deblaterare, quae, tamen in Medicaeorum fauorem solenni ritu inque orbis melioris conspectu compositis verbis est extincta. Quomodo enim solutus dici potest, qui a decreto supremi Principis nequit recedere? Qui liber est, potest ire, quocunque vult; potest facere, quod libet, nisi iure prohibeatur. Sed prohibetur populus Florentinus lege Imperatoria: nihil illi hac parte suffragii relictum, optio nulla: ac, quemadmodum, Papiniani opinione, seruus est manetque, qui a monumento domini sui recedere nequit; ita serui hoc intuitu sunt Florentiae ciues, quibus monumentum Caroli aeternum, vt custodirent, iniunctum, sum-



(*) cap. I. §. 77. p. 131.

maque reuerentia ab omnibus agnitum iurandoque sanctissime firmatum.

§. XXV.

At Pius V. Pontifex, inquis, ad similia est delapsus, cum liberum Etruriae Principatum pronuntiauit. Ego vero, Papa, regero, tam in facto, quam iure perspicue errauit, cum a lege, etiam maioribus suis approbata, defciuit, cum falcem in alienam messem misit, cum iurisdictionem, quam in ecclesiasticis ei concedunt fere catholici, ad profana propagauit et summa miscere imis contendit, quaeque Caesaris sunt, immodeste appetiit, et lege non perspecta inciuiliter ac violenter egit, superbe dominando, sacramenta negligendo, ius naturae conuellendo: in quo apostolorum atque euangelii doctrinam euertit, summo subditis Principi facultatem eligendi, atque libertatem denique abiurantibus libertatis visum ac portentum offerendo, quod nusquam, nisi proprio in cerebro comparebat. Postremum propterea *causidico* nostro inculco, quoniam praesumtionem, saltem ob Pontificis testimonium, pro libertate Florentinorum oriri contendit, vt qui Caroli V. tempora fere adtigisset, probe edoctus, quae fuerit facultas ciuitati toties nominatae relicta. Nemo enim tam seruili vnquam ingenio se gloriabitur praeditum, vt captiuam sit ducturus rationem, quando Romani praesulis dictata sensibus et rationi repugnare animaduertet. Quid enim? si adfirmaret idem, Medicaeos non regnare, Alexandrum et Cosmum Florentiae Principes non fuisse, ciuitatem Caroli exercitu ac copiis expugnatam non esse, Musetolam Alexandrum dignitati nouae non inauguraſſe, Cisuentem ad pomoeria vrbis non accessisse, Cosmum a Carolo non confirmatum, hodiernos magnos Duces non esse magnos Duces, Franciscum a Maximiliano eo elogio non esse ornatum;

quae

quae nunc, quaeso, caperetur coniectura, quae nasceretur praesumtio aduersus haec omnia, quae verisimilitudo, quod probabilitatis indicium? Miseret me tui, *Rabularum* imperitissime, qui omnia conuasas et quisquilias quascunque vnum in aceruum colligis, et publicis instrumentis contraria eructas, et puerilibus crepundiis consentanea petulanti calamo defendis, clausulam conseruatricem Caroli, Maximiliani et imperii, ipsaque Medicaeorum Principum facta et confessiones ridicule flocci faciens.

## §. XXVI.

Similis furfuris videtur, quando Legatorum honorem tuis habitum scribis, quod a. CIↃ IↃ XXVIII. carceri non mancipasset eos Carolus, vbi Angli et Galli, Venetis Florentinisque praesentibus, Imperatori in Hispania Burgis agenti bellum intulere. Vix enim alia haec illatio est, quam si te, *Daue*, Augustissimus CAROLVS noster, dum falsa et sacrilega in Imperatorem et imperium effundis, ipsisque Principibus Florentinis probrosa confingis, liberum vagari permitteret, quamuis in pistrinum te transdere summo iure posset, vbi bene moleres et calumniarum poenas, capistro subditus, digne lueres; ac tu interea Thrasonico ore iactitares: En vera omnia, quae in vulgus quotidie dissemino! Imperator, etiamsi posset, me non punit, nec in vincula compingi iubet. Applica ad caussam praesentem, quam tibi damus responsionem, neque ex Caroli V. indulgentia in Florentinos oratores, quos interea e facie abegit sua, iisque custodem militem appossuit, tam insolenter conclude: ergo is Florentini municipii ἀνυπεύθυνον imperium agnouit; ergo cum illius missis propterea lenius, quam cum Sfortiae ablegato egit, quia Florentinam rempublicam Principibus aliisque liberis gentibus parum habuit. Suadent interdum prudentiae regulae, ne omni seueritate

etiam in suos vtatur Princeps, etiamsi possit: parcit ille haud raro vanis, cumque ratione insanientibus, etiamsi facultas ad perdendum ac destruendum, quidquid sibi aduersatur, non desit. Haec praesumtio maiori veritatis luce collustratur, quam si quis immunitatis inde argumenta captet, vbi vel πολιτικὸν σκέμμα, vel clementiae singularis exemplum conspicitur: inprimis cum exitus demum clarissime ostenderit, quid senserit Caesar, quid illi animi fuerit, quae de Florentinis rebellibus opinio, quos obsidione ad incitas redegit, quos vicit, quos pedibus subiecit suis, quibusue tandem legem nouam praescripsit, quam sponte sua agnoscere renuebant, inque mediis victoriis indulgentius istos, quam meruere, habuit. Deinde considerandum est, solum Guicciardinum hanc addidisse glossam, Sfortiae legatum in aula adseruatum, quod Caesari subditus esset. Quod e Guicciardino Belcarius ac Mauroceni repetiere: Pontus Heuterus vero, Franciscus Haraeus, et Masenius simpliciter produnt, Carolum, Angli oratore dimisso, ceteros arcte iussisse custodiri, Mediolanensem in aula, reliquos triginta abhinc milliaribus in vicum, qui Poza appellatur, translatis. Quod nec aliter Varchius recenset. Igitur, excepto Britanno, omnes sunt in custodiam traditi; reditque eo res tota, an a Sfortia missum in aula retinuerit, quia suus homo esset? Potius alia ab Haraeo et Sandouallio et Ponto Heutero redditur caussa, propterea id affirmantibus factum, quod ab omnibus in Italia oratores sui retinerentur. Galli enim Lauterecio Duce hostilia iam sunt moliti, ac Caesaris speculatores vndique retentos appositis custodibus seruarunt: adeo vt neutiquam id facturus fuisset Caesar ob litteras commeatus vniuersis concessas, nisi pacis vinculum iam abrupissent hostes in Italia foederati. Accedit ad cumulum, quodue

glossam

gloſſam (*) Guicciardini euertit, etiam Sfortiae legatum cum ceteris Baionae dimiſſum: quid? quod iisdem ex hiſtoricis conſtat, Carolum V. Ferrarienſis Ducis legatos, cum paullo poſt Placentiae verſaretur, eieciſſe: quod annales eius aetatis clare probant. Quod ſi quis tam infrunite, quam FARSONI rationes iniret, concludendum ſane ſimili ratione foret, Imperatorem Ferrarienſem Ducem tanquam omnibus obſequii vinculis exſolutum contuitum, quandoquidem oratores eius a ſe expuliſſet, non autem apud ſe in vincula conieciſſet. Et Ferrarienſem autem Caeſaris vaſallum indubitato fuiſſe, nemo diffitebitur, qui Mutinam et Rhegium ab imperii iurisdictione pendere intelligit, ne de ſummo in Ferrarienſem Ducatum iure verbulum addam. Vnde *Defenſoris* argumentum elumbe prorſus concidit: ſicuti et alia conquiſita in ſpeciem vaneſcunt, quando Valliſoleti libertatem Florentinis oratoribus promiſſam gloriatur. Quaeſtio eſt, qualem libertatem ſit pollicitus? Deinde probe perpendendum, id generis reſponſum eos retuliſſe, ſi quidem retulerunt, cum nondum armis oppugnaſſent Dominum atque hic Clementem captiuum ſeruaret adhuc. Nam Valliſoleto demum Burgos abiit, ob peſtiferum, qui primo in loco graſſabatur, morbum. Ex quo rurſum ad liquidum perducitur, omnia permiſcere hominem confuſum nullaque in re conſtan-



(*) Vitio merito *Guicciardino* hiſtorico vertitur, eum ſuſpiciones ſuas cum vere factis ſociare. A quo enim is interiores Caroli cogitationes ſciuit? Declarauit is ne aperte, ſe Sfortiae legatum retinere in aula velut miſſum ab eo, qui ſibi eſſet ſubiectus? Et non putem. De eo praeter Guicciardinum, eosque, qui ab illo hauſere ſua, nemo indicat quidquam. Igitur ipſe Florentinus fecit, quod araneus ſolet in roſa.

tem, quam cum perpetuo scelere inanem Florentinorum libertatem perdite tueri conatur, perinde ac si Florentini capris semper similes fuissent, quae sunt ἐλευθέραι ἀρότρων, *immunes aratri*, vt est in prouerbio.

## §. XXVII.

Quae sicuti verissima atque euidentibus signis argumentisque vberrime sint demonstrata; ita manum denique de tabula tollimus, sperantes haud temere, displicere *Farsoniana* commenta magnis DVCIBVS, sapientissimis Principibus, nec eos tangi desiderio vllo, vt refricetur memoria facti a Cosmo admissi, qui denique ipse ad mentem rediit, huncque errorem multis meritis in domum Austriacam, aliisque excelsioribus virtutibus pensauit: Francisco relinquens filio hac parte prudentiori, quibus plene corrigendis tum ipse, tum Concini studiosa facundia impar fuit. Rogamus DEVM, vt AVGVSTI imperiique iustissima caussa, vbi ad rem veniet disceptatio, inter orbis Europaei applausus omniumque bonorum calidissima vota, triumphet. Seruet interea TE, CAROLE, supremum numen; seruet FAMILIAM AVGVSTISSIMAM, seruet IMPERIVM ROMANVM, seruet Germaniae PROCERES summos, efficiatque bonitatis suae dulcissimo flumine, vt in vnum perpetuo conspirantes pax vniuersis, ac sempiterna faustitas, ringentibus licet inimicis, TIBI, REGNO, PRINCIPIBVS, AMICIS, ciuibusque affulgeat, atque inconcussa perennet.

# FINIS.

INDEX

# INDEX I.

## DIPLOMATVM IN HOC OPERE CONTENTORVM AC CHRONOLOGICO ORDINE DISPOSITORVM ARGVMENTA INITIVM ET FINEM EXHIBENS.

I.

a.1038. Conradus Salicus Imp. Bona quaedam ciuibus, qui regis placita contempserant, ademta, Monasterio S. Mariae in Florentia liberaliter confert.

In nomine S. et Indiuiduae Trinitatis. Conradus diuina fauente Clementia, Romanorum Imperator Augustus - -

Quod vt verius credatur, et diligentius ab omnibus obseruetur hanc paginam sigillo nostro iussimus inferius insigniri, manu propria roborantes.

Sign. Domini Chuonradi Augusti Inuictissimi Romanorum Imperatoris - - - Episcopus, et Cancellarius, vice Herimanni Archi-Cancellarii recognouit.

Datum X. Kal. Augusti Indict. VI. An. Dominicae Incar. MXXXVIII An. Domini Chuonradi Regni XIV. Imperii XIII. Actum Vidulianae feliciter Amen. v. C. I. §. XIII. p. 12.

II.

a.1068 Sententia Beatricis, regali auspicio lata, qua Petro II. Ecclesiae sanctae genitricis Abbati bona quaedam in litem deducta, iudiciali voce tribuit.

Dum in Dei nomine, in ciuitate Florentia, intus Palatium de domu S. Ioannis in iudicio residebat Dna Beatrix Ducissa et Marchionissa. - - -

Quod quidem et ego Ioannes Notarius ex iussione praedictae Beatricis Ductricis - - - et iudicum admonitione scripsi An. ab Incar. Dni LXI. post mille Kal. Decembris, Indictione XV.

Rotecherius Iudex interfui

Vgo iudex Domini Imperatoris interfui

Petrus iudex sacri Palatii interfui

v. C. I. §. XV. p. 15. 16.

III.

Formula, qua Pisani Alphonsum Romanorum regem Dominum suum agnoscunt, ipsique fidelitatem iurant. 1256. 15. Kal. Apr.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Amen.

Quia vos Excellentissimum et inuictissimum et Triumphatorem Dominum Alphonsum Dei gratia, Regem Castellae, Toleti, Legionis, Galletiae, Sibiliae, Cordubae, Murciae et Gienuae, commune Pisarum et tota Italia - - -

Acta

Acta sunt haec omnia in Villa de Soria de Hispania Regni Castellae in Palatio Regali supradicti Domini Regis in praesentia mei Matthaei Notarii supradicti, et in praesentia DD. Fratris Stephani de ordine Fratrum Praedicatorum, Archiepiscopi Toletani, Fratris Laurentii de Portugallia de ordine Fratrum Minorum Poenitentiarii Dom. Papae, et prosecutoris negotii crucis in tota Hispania et Suerii Episcopi de Zamorra, iam d. Dom. Regis Notarii, et Garciae Petri Archidiaconi Marrochitani, testium ad haec specialiter vocatorum et electorum d. I. Anno MCCLVII. secundum cursum Pisarum Indict. XIV. XV. Kal. Apr. v. C. I. §. XL. p. 41. 43.

IV.

1256. 25. Kal. Apr. Alphonsus Romanorum Rex Pisanos in fidem ac tutelam recipit, de feudis quae ab Imperio tenent investit, et tempore coronationis suae ensem et vexillum iisdem concedit. Pisani contra ipsi omnem fidelitatem, praestito prius eidem eiusmodi debito sacramento, promittunt.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Amen.

Nos Alphonsus Dei gratia in Romanorum Regem, et Imperatorem electus, Rex Castellae, Toleti, Legionis, Galletiae, Sibiliae, Cordubae, Murciae et Gienuae - - -

Acta sunt haec omnia in villa de Soria de Hispania Regni Castellae in Palatio Regali suprascripti D. Regis in praesentia Domini Fratris Stephani de ordine Fratrum Praedicatorum Archiepiscopi Toletani et Frat. Laurentii de Portugallia de ordin. Fratrum minorum, Poenitentiarii Dom. Papae, et prosecutoris negotii crucis in tota Hispania et Suerii Petri Episcopi de Zamorra iam d. Dom. Regis Notarii et Garciae Petri Archidiaconi Marrochitani testium ad haec specialiter vocatorum et electorum D.I. Anno MCCLVI. secundum cursum Pisanorum Ind. XIV. XV. Kal. Aprilis v. C. I. §. XL. p. 44. 46.

V.

1284. Rudolphus I. Imp. Ioannem de Auesnis Hannoniae comitem suum et S. R. I. Vicarium per Tusciam generalem creat.

Rudolphus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus

In cuius rei testimonium, praesentes litteras fieri et pendenti sigillo nostrae regiae maiestatis in euidens testimonium praecepimus cummuniri Datum Friburgi, Kal. Maii Indictione XII. anno Domini MCCLXXXIV. regni nostri anno XI. v. C. I. §. XLIX. p. 53. 54.

VI.

1401. Rupertus omnia bona ac regalia Florentinis confirmat, ipsos suos et S. R. I. per Tusciam Vicarios

carios creat, de Imp. feudis inuestit, ac in protectionem suam recipit specialem.

Rupertus ad perpetuam rei memoriam. - - -

Testes huius rei sunt venerabilis Fridericus Archiepiscopus Colonienſis, Imperii per Italiam Archi-Cancellarius. Illustres Ludouicus Comes Palatinus Rheni et Bauariae Dux, Carolus Dux Lotharingiae. Nobiles Philippus Nassau et Saraponte. Emilius de Leiningen, Regalis nostrae curiae Magister. Gerhardus de Kirberg. Fridericus de Morse. Io. Frid. de Leiningen, Comites spectabiles. Sigehardus de Winsperg. Eberhardus Pincerna de Erpache Senior, Barones. Honorabiles Conradus de Hirtzhorn, St. Stephan. Moguntienſis, Wilhelmus beatorum apostolorum Colonienſium ecclesiarum praepositi, Magister Nicolaus Perwin, sac. paginae professor. Strenui Wipertus de Helmstat Senior, Iohann de Hirtzhorn, Iohannes Camerarius de Talburg, Schilling de Fillig, Henricus de Dadenberg. Sifridus de Lapide, milites, nec non quam plures alii nostri et Imp. nobiles et fideles.

Harum sub Regiæ nostræ Maiestatis sigilli appensione testimonio litterarum, datum Moguntiae die quarta Mensis Iulii Anno Domini MCCCC. primo, regni vero nostri anno primo, Ego Rabanus, Episcopus Spirensis, regalis aulae Cancellarius, vice Reuerendissimi in Christo Patris Domini Ioannis Archiepiscopi Moguntini per Germaniam Archi-Cancellarii recognoui. v. C. I. §. LXVI. p. 78--83.

VII.

Caroli V. Imp. Tabulae quibus Florentinorum Ciuitatem in gratiam recipit, priuilegia sua ipsis confirmat, et Alexandrum Medicaeum Florentiae ducem creat. 1530

Carolus Quintus Augustus, diuina fauente Clementia Rom. Imperator, ac Germaniae, Hispaniarum, vtriusque Siciliae, Hierusalem, insularum Balearium fortunatarumque et magni orbis Indiarum etc. Rex, Archidux Austriae, dux Burgundiae et Galliae Belgicae Dominus - - -

Datum in ciuitate nostra Imperiali Augusta die XXVIII. Mense Octobr. an. Domini MDXXX. Imperii nostri XI. regnorum nostrorum omnium XV. Ad mandatum S. Caesareae et Cathol. Maiestatis. v. C. I. §. LXXXI. p. 105--110.

VIII.

Instrumentum Initiationis Alexandri Medicaei Ducis Florentinorum. 1531.

In Nomine Indiuiduae Trinitatis.

Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat euiden-

ter, quemadmodum conuocatis, - - -

Acta et celebrata fuerunt omnia et singula scripta, in praedicto palatio praedictorum magnificorum Dn. Florentinorum, et in sala magna inferiori dicti palatii, anno incarnationis dominicae 1531. Indictione V. et die 6. mensis Aprilis P. sereniſſimi in Christo patris et domini nostri, Clementis diuina prouidentia PP. VII. anno VIII. et praesente et assistente magna parte populi, nec non venerabilibus viris, domino Albizo - - - de Nobilibus Clerico Florent.

Ego Iohannes Iuliani de Durazinis, imperiali, apostolicaque autoritate notarius, et scriba praedictorum excellentiſſ dominorum libertatis ciuitatis Florentiae, praemiſſis omnibus et singulis, quae in praesenti, et in nouem aliis similiter procedentibus cartis in hoc libello, simul lectis, et meo signo interlineatis, descripta sunt, dum sic agebantur interfui, et agitari, vt scripsi, vidi et auscultaui, in superscripto loco et demum de mandato magnifici Dni Vexilliferi iustitiae et excellentiſſimorum Dominorum, requisitus vna cum infra scriptis aliis Cancellariis palatii, in praemiſſorum fidem, et robur, et testimonium, me subscripsi, et signum meum consuetum appoſui. v. C. I. §. LXXXII. p. 111--116.

IX.

Idem Imperator Cosmum Medicaeum, Alexandro duce occiso, a populo Florentino in omnem euentum agnitum confirmat. 1537.

Carolus Quintus diuina fauente Gratia Romanorum Imperator Augustus ac Germaniae, Hiſpaniae, vtriusque Siciliae, Hierusalem, Vngariae, Dalmatiae, Croatiae, Insularum Balearium, Sardiniae, Fortunatarum ac Indiarum et terrae firmae, maris Oceani etc. Rex, Archidux Austriae, Burgundiae, Lotharingiae, Brabantiae, Limburgi, Lucemburgi, Geldriæ, Virtembergae etc. Comes Habspurgi, Flandriae, Tirolis, Arteſiae et Burgundiae, Palatinus Hannoniae, Hollandiae, Zelandiae, Ferreti, Kiburgi, et Zutphaniae, Landgrauius Alsatiae, Marchio Burgouiae et S. Romani Imperii etc. Princeps Sueuiae, Dominus Phrisiae, Molinae, Salinarum, Tripolis et Mechliniae - - -

Datum in oppido nostro Montiſſoni die vltimo mensis Septembris Anno Domini 1537. imperii nostri decimo septimo et Regni nostri 29.

CAROLVS

V. Perenot.

Ad Mandatum Caes. et Cath. Maiest. Obernburger.

v. C. I. §. LXXXVI. p. 121-127.

X.

Maximiliani II. Imp. Litterae ad Cosmum Magnum ducem a Pontifice nuper creatum, quibus, 1570.

bus, adductis Imperii iuribus, ipsi hoc vti titulo interdicit.

Illustrissime Dux, affinis et princeps charissime - - -

Datum in oppido nostro Dunckelspuhl 26. Dec. 1570. v. C. I. §. LXXXVII. p. 130-32.

XI.

1576. Ei. Imperatoris Diploma, quo Francisco Magni Ducis titulum autoritate imperatoria de nouo concedit.

Maximilianus secundus - - -

Datum in ciuitate nostra Viennae die vigesima sexta Ianuarii anno domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, regnorum nostrorum Romani decimo quarto, Hungarici decimo tertio, Bohemici vigesimo septimo. v. C. I. §. LXXXIX. p. 13438.

# INDEX II.

## SCRIPTORVM, QVIBVS IN ELABORANDO HOC OPERE VSVS EST ILLVSTRIS AVTOR.

A.

*Petrus de* ACARNANO celebris iuris ciuilis glossator. v. Corpus Iuris Ciuilis Glossatum.

*Franc.* ACCVRSSII Opera omnia, *Lugd. 1589. fol. 6. Voll.* v. et Corp. Iur. Ciu. Glossat.

*Giouambattista* ADRIANI Istoria di suoi tempi, *in Firenze 1583. f.*

*Ioan.* ADLZREITERI, *a Tetenweiss.* Annalium Boiicae gentis PartesIII. *Frf. ad Moen. 1710. fol.*

AGATHIAE *Scholastici* de Imperio et rebus gestis Iustiniani Imperatoris Libri quinque ex Bibliotheca et interpretatione *Bonauenturae* VVLCANII cum notis eiusdem. Accesserunt *eiusdem* AGATHIAE Epigrammata cum versione Latina, *Paris. 1660. fol.*

*Excerpta* ex eiusdem AGATHIAE Historia, a fine PROCOPII ad Gothos pertinentia, *Hugone* GROTIO interprete, in *Ei.* Historia Gothorum, *Amstel. 1655. 8.* et apud MVRATORIVM Tomo I. Scriptor. Ital. *Mediol 1723. fol.*

ANGELI de *Perusio*, clari Glossatoris, Commentarius in Pandectas. Extat in collectione, cui titulus, variarum repetitionum seu Commentariorum Iuris Ciuilis Voll. VIII. *Lugd. 1535. fol.* et Corp. Iuris. Ciu. Glossatum.

AGNELLI siue ANDREAE *Rauennatensis* Episcopi Liber Pontificalis s. Vitae Pontificum Rauennatum. *Bened.* BACHINVS Dissertationibus et Obseruationibus nec non Appendice Monumentorum illustrauit, *Muti-*

*nae, 1708.* 4. et apud MVRATORIVM Scriptor. Ital. Tom. II. Part. I. *Mediol. 1723. fol.*

ALBERTI *Argentinenſis* Annales accurati, apud *Chriſtianum* VRSTISIVM German. Hiſtoricor. Illuſtrium, quorum plerique ab Henrico IV. Imperatore vsque ad annum Chriſti 1400. Tomo II. *Francof. ad Moen 1670. fol.*

*Nat.* ALEXANDRI Hiſtoria Eccleſiaſtica Veteris Nouique Teſtamenti. Tomi VIII. *Paris 1714. fol.*

*Scipione* AMMIRATO Hiſtorie Fiorentine, *in Firenze 1600.* II. Tomi *fol.*

Annales

*Colmarienſes* ſiue Chronicon Colmarienſe breuius, apud *Chriſtianum* VRSTISIVM German. Hiſtoricorum Illuſtrium, quorum plerique ab Henrico IV. Imperatore ad annum Chriſti 1400. Tomo II. *Francof. ad Moen 1670. fol.*

*Aliud* eiusdem loci paulo diffuſius, *ibid.*

*Lambeciani Fuldenſes* i. e. Annales Francorum Fuldenſes dicti, ſiue Laurishamenſes ab an. 714. ad Ludouici Pii quartum annum, auctore anonymo, qui vtitur ſupputatione temporis ſecundum annos regni Francorum, ex vetuſtiſſimo codice hoc tempore non ſolum compoſito, verum eodem etiam tempore propria autoris manu litteris Gothicis exarato in Lambecii Commentario de Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi Tomo II. *Vindobonae, 1666. fol.*

*Maximiliani* II. autore (vt creditur) *Huberto* LANGVETO, apud *Simon.* SCHARDIVM Scriptor. Rer. German. Tom. III. et IV. *Gieſſae, 1673. fol.*

*Metenſes* i. e. Annales rerum Francicarum in monaſterio S. Arnulfi Metenſis ſcripti apud *Andream du Cheſne* Hiſtor. Francor. Scriptor. coaetan. contin. a *Franciſco. du Cheſne* Tomo III. *Pariſ. 1638. fol.*

*Piſani* v. Chronograph. Piſanus.

ANONYMI

Hiſtoria de Vita Henrici IV. Imperatoris a quodam eius temporis conſcripta, apud *Iuſtum* REVBERVM Scriptor. Rer. German. Tomo vno recognito et aucto a *Georg. Chriſtiano* IOANNIS, *Francof. ad Moen. 1726. fol.* et apud *Chriſtianum* VRSTISIVM. German. Hiſtoricorum Illuſtrium, quorum plerique ab Henrico IV. Imperatore ad annum Chriſti 1400. T. I. *Francof. ad Moen. 1670. fol.*

Hiſtorie de la ligue faite à Cambray entre Iules II. Pape, Maximilien l'Empereur, Louis XII. Roy de France, Ferdinand V. Roy d'Arragon et les Princes d'Italie contre la Republique de Veniſe II. T. *a Paris, 1709. 8.* (par l'Abbé du BOS)

Vita Vrbani V. papae v. Vrbani V. Vita.

S. ANTONII Florentii Archiepiſcopi Hiſtoria MSta.

ANTO-

ANTONIVS de BVRIO, Glossator non obscurus, v. Corp. Iuris Ciu. Glossatum.

L. APVLEGI Opera, Interpretatione et notis illustrauit *Iulianus* FLORIDVS in vsum Delphini, *Paris 1688. 4.*

*Leon.* ARETINI Historiarum Florentinarum Libri XII. Accedunt quorundam suo tempore in Italia gestorum et de rebus Graecis Commentarii studio et opera *Sixti* BRVNONIS *Argent. 1610. fol.*

ARNOLDI *Lubecensis* Chronica Slauorum, prodiit vna cum HELMOLDI chronico Slauorum.

I) Cura *Sigism.* SCHORKELII *Francof. ad Moen.* 1555. 4. mutila.

II) Cum R. REINECCII Appendice de gentium Germanarum et Henetarum appellationibus, de familia Billinga, de Genealogia Marchionum Estensium et Ducum Ferrariae, *Francof. ad Moen. 1581. fol.*

III) Integra cum Notis *Henrici* BANGERTI, *Lub. 1659.* 4. et auctior studio *Ioannis* MOLLERI, *ib. 1702. 4.*

IV) Cum *Ei.* Supplemento apud *Erpoldum* LINDENBROGIVM Scriptor. Rer. German. et Septentrionalium Tomo vno, ex edit. *Io. Alb.* FABRICII, *Hamb. 1706. fol.*

V) Collata cum CORNERO et subinde emendata apud *Godofredum Guilielmum* LEIBNITIVM Scriptorum Rerum Brunsuicensium Tomo II. *Hanouerae, 1711. fol.*

*Domin.* ARVMAEI Disputationes Feudales, *Ienae 1613. 4.*

*Io.* AVENTINI Annales Boiorum Quibus abacus simul ac perrarus *Francisci* GVILIMANNI de Heluetia, seu de rebus Heluetiorum tractatus accesserunt, curante illustri Autore. *Lips. 1710. fol.*

B.

BALDI *Perusini* seu de *Perusio* Commentarius in Pandectas, in Variarum repetitionum seu Commentariorum Iuris Ciuilis Volum. VIII. *Lugd. 1553. fol.* v. et Corp. Iuris Ciu. Glossatum.

*Steph.* BALVZII Vita Mauritii Burdini, in Eius Miscellaneis Tom. III. *Paris 1680. 8.*

*Eiusd.* Vitae Paparum Auenionensium vna cum collectaneis ad has vitas spectantibus e Bibliotheca Colbertiana Tomi II. *Paris 1693. 4.*

Les Entretiens de Mons. BALZAC *Amstel. 1663. 12.*

*Eiusd.* Les oeuures, *Paris, 1665.* II. Tomes *fol.*

*Iul. Caes.* BARONII Annalium Ecclesiasticorum Tomi XII. *Col. Agrip. 1613. fol.*

BARTOLI *de Saxo Ferrato* Commentarius in Pandectas, in Varior. repetit. seu Commentar. Iur. Ciu. Vol. VIII. *Lugd. 1553. fol.* v. et Corp. Iur. Ciu. Glossatum.

*Franc.* BELCARII, *Peguinonis*, Rerum Gallicarum Commentarii

rii ab A. C. 1461-580. *Lugd. 1625. f.*
BERTHOLDI, *Presbyteri Constantiensis*, Chronicon rerum gestarum post Hermanni Contracti obitum, apud *Christianum* VRSTISIVM German. Histor. Illustr., quorum plerique ab Henrico IV. Imperatore ad annum Christi 1400. Tom. I. *Francof. ad Moen 1670. fol.*
*Christoph.* BESOLDI de Successionibus ac mutationibus Imperiorum ac familiarum nec non de moderna Iurisdictione Imperatoris Romani Statuumque territoriali, *Ingolst. 1630. 4to.*
*Flau.* BLONDI, *Foroliuiensis*, de Roma triumphante Libri X. Romae instauratae Libri III. de origine ac gestis Venetorum Lib. Italia illustrata in regiones diuisa XVIII. Historiarum ab inclinato Rom. Imperio decades III. *Basil 1559. fol.*
*Vinc.* BORGHINI. Discorso se Firenze fu disfatta Part. II. dei Discorsi diqueſto Autore Ei. Discorso se Firenze si ricumpero la liberta da Ridolfo Imperatore, *ibid.* Prodierunt autem *Eiusd.* Discorsi Part. I. *in Fiorenza, 1584.* Part. II. *ibid. 1585. 4.*
*Andr. de* BVRGO Epist. ad Margaretham Austriacam *Bruxellis.*

C.

*Arn.* CAMERARII Liber censuum, v. *Steph.* BALVZII Vitas Paparum Auenionensium.
CAROLI IV. Imperatoris Commentarius de Vita sua, apud *Marquardum* FREHERVM Scriptor. Rer. Bohemic. *Hanouiae, 1602. fol.* et *Christophorum* HEIDMANNVM Chron. Hierosolym. Part. II. continente res duorum priorum familiae Lucemburgicae Imperatorum, ob argum. cum Chron. Hier. affinitatem, *Helmst. 1585. 4.*
*Marci Tul.* CICERONIS Opera ex edit. Iac. Gronou. *Amst. 1692.*
*Giou. Bapt.* CINI vita del Serenissimo Signor Cosimo di Medici primo Gran Duca di Toscana, *in Firenze, 1611. 4.*
Chronicon Hildesiense. v. Chronographus Hildesiensis.
*Pisanum* v. Chronographus Pisanus.
*Sicculum* ap. *Edmundum* MARTENE *et Vrsinum* DVRANDVM Thesaur. Nou. Anecdotorum Tom. III. *Paris. 1717. f.*
*Monachi Weingartensis*, apud *Henricum* CANISIVM Lect. Antiquar. Tom. I. *Ingolst. 1601. 4.* siue Thes. Monum. Eccles. et Histor. cum Praef. hist. *Iac.* BASNAGE Tom. I. *Antw. 1725. fol.* et collatum cum Codice Augustano, apud *Godofr. Guil.* LEIBNITIVM Scriptor Rer. Brunsuicens. T. I. n. 56. *Hannou. 1707. fol.*
*Eiusdem* Monachi Chronicon de Guelfis, *ibid.* no. 55.
Chronopraphus *Hildesiensis*, i. e. Chronica Episcopp. Hildesiensium, nec non Abbatum Monasterii S. Michaelis, ap. *Godof. Guil.* LEIBNITIVM Script. Rer. Brunsv. T. I. *Hannou. 1711. fol.*
*Pisanus* i. e. Gesta triumphalia per Pisa-

Pisanos facta, siue Chronicon vel Annales Pisani, apud *Ferdinandum* VGHELLVM Ital. Sacr. seu Histor. Episcop. Ital. et Insular. adiacentium, cum notis et Supplementis *Nicolai* COLETTI, Tom. III. *Venet.* 1717. *fol.* et apud MVRATORIVM Scriptor. Rer. Ital. Tomo VI. *Mediol.* 1725. *fol.*

*Saxo* apud *Godofr. Guilielm.* LEIBNITIVM Accessionum historicarum T. I. *Lipf.* 1698. 4.

*Phil.* COMINAEI de Bello Neapolitano liber, latinitate donatus a *Ioanne* SLEIDANO, *Argent.* 1548. 8.

*Natalis* COMITIS Vniuersae historiae sui temporis ab an. 1548. ad 1581. Libri XXX. cura *Casparis* BITSCHII, *Argent.* 1612. *fol.*

*Franc.* CONANNI Commentariorum Iuris Ciuilis libri X. a *Franc.* HOTTOMANNO editi, *Lugd.* 1566. *fol.*

CONRADI *a Lichtenau*, *Abbatis Vrspergensis*, Chronicon absolutissimum a Nino vsque ad tempora Friderici II. Imperatoris, cura *Conradi* PEVTINGERI, ICti, *Argent.* 1515. et 1609. *fol. Basil.* 1569. *fol.*

*Bernard.* CORIO Historia di Milano con le vite di tutti gli Imperatori, *in Padoa*, 1646. 4.

*Petri Phil.* CORNAEI, *Perusini*, Consiliorum Vol. IV. *Trid.* 1513. *f.*

CORPVS Iuris Canonici Glossatum *Bonon.* 1589. fol. *Antuerp.* 1624. *fol. Venet.* 1490. *fol.* 4. *Voll. Lugd.* 1618. *fol.* 3. *Voll.*

CORPVS Iuris Ciuilis Glossatum *Paris* 1565. fol. V. Voll. Plures editiones vide in *Burc. Gotth.* STRVVII Historia Iuris Cap. V. p. 395. n. **** et Bibl. Iur. Select. (edit. 1720. 8.) p. 42. §. 15.

*Anton.* COSCII *Senensis* Repetitionum Canonicarum Tomi V. Lugd. 1553. *fol.*

*Io.* CVSPINIANI Vitae Imperatorum a Iulio Caesare vsque ad Maximilianum I. *Francof. ad Moen.* 1601. *fol.*

D.

*Petri* DAMIANI Opuscula, apud *Melch.* GOLDASTVM Monarch. S. R. I. siue Tractat. de Iurisdictione Imperiali seu Regia, et Pontificia seu Sacerdotali, deque potestate Imperatoris ac Papae, cum distinctione vtriusque regiminis Politici et Eccles. Tomo II. *Hanov.* 1614. fol.

*Gabriel.* DANIEL Histoire de France depuis l' Etablissement de la Monarchie Francoise dans les Gaules III. Tomes. *Paris*, 1713. 4.

DOMNIZO siue DONNIZO Presbyter de Vita et rebus gestis Mathildis Comitissae Carminum Libri II. c. *Sebast.* TEGNAGELII Monumentis pro Gregorio VII. aliisque pontificibus, *Ingolst.* 1612. 4. et apud *Godofr. Guilielm.* LEIBNITIVM Scriptor. Rer. Brunsuicens. Tomo I. *Hannou.* 1707. *fol.* ac apud MVRATORIVM Scriptor Rer. Italic. Tomo V. *Mediol.* 1724. fol.

EGIN-

E.

EGINHARTVS de vita Caroli M.
I) Curante *Hermanno Comite* a NVENARE (*Argent.*)1521. 4.
II) Cum Notis Variorum et Dissertationibus, studio atque opera *Io. Herm.* SCHMINCKII, *Traiecti ad Rhen.* 1711. 4.
III) Inter Acta Sanctorum *Io.* BOLLANDI *Godofr.* HENSCHENII, *Fr.* BAERTII, *Conr.* IANNINGII, *I. B.* SOLLERII, *Io.* PINNII, *Guil.* CVPERI, *Petri* BOSCHII, Ianuar. Tomo II. *Antwerp.* 1644. fol.
IV) apud *Iustum* REVBERVM Scriptor Rer. German. Tomo vno recognito et aucto a *Georg. Christiano* IOANNIS, *Francof. ad Moen.* 1726. *fol.*
V) *Io. Mich.* HEINECCIVM et *Io. Georg.* LEVCKFELDVM Scriptor. Rer. German. Tomo vno *Francof.* 1707. *fol.*
VI) *Andream du* CHESNE Histor. Francor. Scriptor. Coaetan. Continuat. a *Francisco du* CHESNE Tomo II. *Paris* 1636. *fol.*
VII) *Marquardum* FREHERVM Corp. Hist. Franc. Tomo vno, *Hanouiae*, 1613. *fol.*
*M. Theodori* ENGELHVSII Chronicon, continens res ecclesiae et reipublicae ab O. C. ad A. C. circiter 1420. ex MStis Codicibus primum editum a *Ioach. Io.* MADERO, *Helmst.* 1671. 4. Auctius vero ad an. 1433. inseruit *Godofr. Guil.* LEIBNITIVS Scriptor. Rer. Brunsv. T. II. *Hanoverae*, 1711. *fol.*

F.

*Raph.* FABRETTI Inscriptiones antiquae, *Romae*, 1699. f. et postea sub titulo, Inscriptionum antiquarum, quae in aedibus paternis asseruantur, explicatio et additamentum, vna cum aliquot emendationibus *Gruterianis*, *Ibid.* 1702. *fol.*
*Franc. Maria* FIORENTINI Memorie di Matilda la gran Contessa, *in Lucca.* 1642. 4.
*Vberti* FOLIETAE Clarorum Ligurum Elogia, *Romae* 1577. 8. et apud *Io. Georgium* GRAEVIVM. Thes. Antiquitat et Histor. Italiae Siciliae et adiacentium insularum a *Petro Burmanno* cont. Tomo I. *Lugd Bat.* 1704. 4.
*Iusti* FONTANINI de Antiquitatibus Hortae Coloniae Etruscorum Libri III, *Romae*, 1723. 4. *c. f.* et ap. *Io. Georg.* GRAEVIVM Thes. etc. etc. T VIII. *Lugd. Bat.* 1722. *fol.*
*Ei.* Il Dominio Temporale della sede Apostolica sopra la citta di Commachio per lo spazio continuato di deci secoli esposto ad un Ministro d'un Principe in *Roma* 1708. 4.
(Reliqua Scripta Controuersa cum *Cel.* MVRATORIO In hac causa v. in *Burc. Gotthelf.* STRVVII Bibliotheca Iuris Selecta (edit. *Ien.* 1725. 8.) p. 49. §. 49.
*Caesarini* FVRSTNERII (i. e. *Godofr. Guil.* LEIBNITII) de Iure Suppremat us ac legationis Principum Germaniae. 1677. 8. et *Norib*, 1696. 8.

G. Io.

G.

*Io.* GOBELINI, Vicarii Bonnenſis, de Rebus Geſtis Aeneae Syluii ſiue Pii II. Pontif. Maximi, Libri XII. cura *Franc.* BANDINI, *Piccolominaei*, *Romae* 1581. f., *Franc. ad Moen.* 1614. f.

GREGORII I. Pontif. cognomine Magni Opera, ſtudio et labore Monachorum Ord. S. Bened. e congregatione S. Mauri *Paris.* 1705. *fol.*

EIVSDEM Epiſtolae, apud *Melch.* GOLDASTVM, Monarch. S. R. I. ſiue Tractat. de Iurisdictione Imperiali ſeu Regia, et Pontificia ſeu Sacerdotali, deque poteſtate Imperatoris ac Papae, cum diſtinctione vtriusque regiminis, Politici et Eccleſiaſtici, Tomo I. *Hanouiae* 1611. f.

GREGORII XI. Epiſtolae et vita, apud *Stephanum* BALVZIVM, Collectan. Actor. Vet. ad vitas Paparum Auenionenſium ſpectant. e Bibliotheca *Colbertina*, Tomo II. *Paris.* 1693. 4.

*Hugonis* GROTII de Iure belli et pacis Libri III. cum Commentariis *Guilielm. van der* MVELEN. Accedunt Autoris adnotata ex poſtrema eius ante obitum cura, nec non *Io. Frid.* GRONOVII Notae in totum opus. *Vltraj.* 1696-1700. 3. Voll. f.

*Franc.* GVICCIARDINI Della hiſtoria d' Italia doppo l' anno 1494. fin' al 1526. libri XVI. *in Fiorenza* 1561. *fol.* -- Della medeſima hiſtoria di *Franceſco* GVICCIARDINI gli vltimi IV. Libri in ſino al 1532. non piu ſtampati, *in Venetia* 1564. 4. ib. 1567. 4. per *Tomaſo* PORCACCHI, *Treuigi* 1604. 4. e di nuovo riveduta e corretta per *Franceſco* SANSOVINO. Con l' aggiunta de quattro vltimi libri laſciati in dietro dall' Autore. Appreſſo *Iac.* STOER 1621. 8. 2. voll. Latine prodiit ſub titulo *Franc.* GVICCIARDINI Hiſtoriarum ſui temporis Libri XX. ex Italico in Latinum ſermonem conuerſi *Cael. Secundo* CVRIONE interprete. Accedunt *Bart.* FACII rer. geſtar. Alphonſi I. Regis Neap. libri X. et *Io. Iouiani* PONTANI de Ferdinando I. rege Neapol. Libri VI. *Baſil.* 1566. *fol.*

*Sam.* GVICHENON Hiſtoire genealogique de la Royale Maiſon de Savoye, *Lion*, 1660. *fol.* II. Tom.

GVNDLINGIANA, darinnen allerhand zur Jurisprudenz, Philoſophie, Hiſtorie, Critic, Litteratur und übrige Gelehrſamkeit gehörige Sachen abgehandelt werden. *Halle* 1715. ſq. 8. Part. 40.

GVNTHERI, *monachi Elnonenſis Belgae*, et Poetae clariſſimi, Ligurinus, ſeu opus de rebus geſtis Imp. Caeſ. Friderici I. Aug. libris X. abſolutum, quod repertum a *Conrado* CELTE, primus edidit *Conradus* PEVTINGERVS, *Aug. Vindel.* 1507. *fol.* Et poſtea cum Scholiis *Iacobus* SPIGELIVS, *Argent.* 1531. *fol.* Nec non multis locis reſtitutum, quinque editionibus inter ſe collatis, et luculentis no-

tis, adiecto rerum et verborum indice, illustrauit et edidit *Conradus* RITTERSHVSIVS, *Tubingae* 1598. 8. Extat quoque apud *Iustum* REVBERVM, Scriptor. Rer. German. Tomo vno recognito et aucto a *Georg. Christiano* IOANNIS, *Francof. ad Moenum* 1726. *fol.*

H.

*Franc.* HARAEI Annales Ducum Brabantiae et vtriusque Belgii, Tomi III. c. f. *Antwerp.* 1623. f.

HERMANNI *Contracti* e Comitibus Veringensibus, maioris Augiae Monachi, Chronicon de sex mundi aetatibus, apud *Christianum* VRSTISIVM, German. Historicor. Illustrium Tomo I. *Francof. ad Moen.* 1670. *fol.* et apud *Ioan.* SICHARDVM in opere Chronico, *Basil.* 1529. *fol.*

*Ponti* HEVTERI Res Burgundicae atque Austriacae, inter opera EIVS, *Louan.* 1651. *fol.*

Ei. Rerum Belgicarum Libri XV, et de vetustate familiae Habsburgicae et Austriacae, *Antwerp.* 1598. 4.

HISTORIA de vita Heinrici IV. Imp. a quodam eius temporis conscripta, apud *Iustum* REVBERVM, Scriptor. Rer. Germ. Tomo vno recognito et aucto a *Ge. Christian.* IOANNIS, *Franc. ad Moen.* 1726. *fol.* Et *Christianum* VRSTISIVM modo citatum, Tomo I. *Franc. ad Moen.* 1670. *fol.*

HVGONIS, primum monachi abbatiae S. Victoris *Virdunensis*, ac postea abbatis S. Petri *Flaviacensis*, Chronicorum Partes II. ap. *Philippum* LABBEVM, Nouae Bibliothecae Manuscriptorum Librorum Tomo I. Sect. II. *Paris.* 1657. *fol.*

I.

*Iac. Wilh.* IMHOF Corpus historiae genealogicae Italiae et Hispaniae, *Norimb.* 1701. *fol.*

EIVSD. Genealogiae XX. illustrium in Italia familiarum, *Amstel.* 1710. *fol.*

INNOCENTII III. Romani Pontificis Epistolarum Libri VI. Accedunt gesta eiusdem INNOCENTII et prima collectio Decretalium, composita a RAINERO, Diacono et Monacho Pomposiano. *Stephanus* BALVZIVS collegit, edidit, emendauit, *Paris.* 1682. *fol.* 2. Voll. Easdem iam antea ediderant Sodales Collegii Fuxensis cum notis *Franc.* BOSQVETI, *Tolosae* 1635. *fol.*

*Iean* de IOINVILLE Histoire et Chronique du Roy S. Louis, mise en lumiere par *Anton Pierre* de RIEVS, *Poitiers* 1561. 4. et postea sub titulo: Histoire de S. Louys par *Iean* Sire de IOINVILLE, enriche de nouvelles observations et dissertations historiques. Avec les Etablissemens de S. Louys, le conseil de *Pierre* de FONTAINES, et plusieurs autres pieces par *Charles* du FRESNE, *à Paris* 1668. *fol.*

IORDANI Historia MSta.

*Mag.* IORDANI Chronica, apud *Melch.*

*Melch.* GOLDASTVM, Monarch. S. R. I. siue tractat. de iurisdictione Imperiali seu regia, et Pontificia seu sacerdotali, deque potestate Imperatoris ac Papae, cum distinctione vtriusque regiminis. politici et ecclesiastici, Tomo II. *Francof. ad Moen.* 1614. *fol.* et *Simonem* SCHARDIVM, Syll. Hist. Pol. Eccles. *Argent.* 1618. *fol.* ac vna cum *Andr.* ALCIATI de Formula Romani Imperii, DANTIS, *Florentini*, de Monarchia, RADVLPHI, *Carnotensis*, de Translatione Imperii, *Basil.* 1559. 8.

*Flauii* IOSEPHI Opera, Graece et Latine ex editione *Ioannis* HVDSONI, *Oxon.* 1720. *fol.* 2. Voll. (Edidit postea ea cum versione *Ioannis* HVDSONI et notis variorum *Sigeb.* HAVERCAMPIVS, *Amstel.* 1726. Tom. II. *fol.*)

*Paul.* IOVII Historiarum sui temporis Libri XLV. Tomi II. Acced. Turcarum rerum Comment. *Venet.* 1553. 8. 3. Voll. it. *Basil.* in tribus Voll. in 8. 1567. et inter opera, quotquot extant, a mendis accurate repurgata viuisque imaginibus illustrata, *Basil.* 1578. *fol.*

*Io. Wilh.* ITTER de Feudis Imperii, *Francof. ad Moen.* 1685. et 1714. 8.

K.

*Casp.* KLOCK de contributionibus, *Bremae*, 1634. *fol. Norib.* 1655. *fol.*

EIVSDEM de Aerario, cum Annotationibus *Christophori* PELLERI, *ibid.* 1671. *fol.*

L.

Histoire de Charle VI. ecrite par un Auteur contemporain, traduite et illustrée des commentaires, par *Iean* le LABOVREVR, *à Paris* 1663. *fol.*

*Petr.* LAMBECII Commentariorum de Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi Libri VIII. *Vindob.* 1665-1679. *f. c. fig. aen.*

LAMBERTVS *Schaffnaburgensis*, i.e. LAMBERTI de Schaffnaburg, Monachi Hirsfeldensis, Historia, cura *Lud.* SCHRADINI, *Tubingae* 1533. 8. et apud *Io.* PISTORIVM, Scriptor. Rer. German. cum notis *Burc. Gotth.* STRVVII, Tom. I. *Ratisbonae* 1726. *fol.* et inter quatuor chronographos *Simonis* SCHARDII, 1566. *fol.*

LANDVLPHI *Sen.* Historiae Mediolanensis Libri IV. cum not. *Io. Petr.* PVRICELLI et *Hor.* BLANCI, apud MVRATORIVM, Scriptor. Rer. Ital. Tomo IV. *Mediol.* 1723. *fol.*

LANDVLPHI *Iun.* siue *de S. Paulo* Historia Mediolanensis ab A. 1095. ad an. 1137. ib. Tomo V. *Mediol.* 1724. *fol.*

*Hubert.* LANGVETVS, v. Annales Maximiliani II.

*Frid.* LEONARD. Recueil des Traitez de Paix, de Neutralité, de Confederation, et de Commerce, faits par les Rois de France avec tous les Princes et Potentats de l'Europe, et autres,

depuis pres de trois Siecles, à *Paris.* 1693. *fol.*

*Io. Petr.* de LVDEWIG Reliquiae omnis aeui Manuſcriptorum ac Diplomatum Tomi IX. *Halae et Francof. ac Lipſiae* 1720-1731. 8.

LVITPRANDI Subdiaconi opera, cura *Hieronymi* de la HIGVERA, S. I. et *Laur.* RAMIREZ de *Prado, Antverp.* 1640. *fol.*

M.

*Nicol.* MACHIAVELLI Hiſtorie Fiorentine, *in Firenze* 1532. 4. et *in Venetia* 1540. 8. It. Hiſtoria Fiorentina et altre opere 3. Voll. *ibid.* 1546. 8. *Francf.* 1550. 4. Latine *Lugd. Bat.* 1645. 12. Gallice *Amſtel.* 1696. 2. Voll. 12.

*Martini* MAGERI *a Schoenberg* de Aduocatia armata, ſeu de clientelari patronorum iure et poteſtate clientumque officio et obligatione, *Francof. ad Moenum* 1625. *fol.* ac poſtea cum Praefat. *Burc. Gotth.* STRVVII de Aduocatia Maieſtatica, adiectoque *Chriſtiani Franc.* PAVLLINI Diſcurſu de Aduocatis monaſticis. *ibid.* 1719. *fol.*

Iſtoria Fiorentina di *Ricordano* MALESPINI, *Fiorenze* 1568. 4. et coll' aggiunta di *Giachetto* MALESPINI e la Cronica di *Giouanni* MORELLI, *ib.* 1714. 4 et latine apud MVRATORIVM, Scriptor. Rer. Ital. Tom. VIII. *Mediol.* 1726. *fol.*

*Nic.* MAMMERANI Epitome rerum Caroli V. Imp. apud *Simonem* SCHARDIVM Scriptor. Rer. Germ. Tomo II. *Gieſſae* 1673. *fol.*

*Aldo.* MANVCCI vita di Coſimo d' Medici primo Granduca di Toſcana, *Bologna* 1586. *fol.*

*Corn.* MARGARINI Bullarium Caſinenſe, ſeu Conſtitutiones Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Principium, et decreta ſacrarum congregationum, pro congregatione Caſinenſi caeterisque regularibus cum eadem participantibus, Tomi II. *Venet.* 1650. *et Tuderti* 1670. *fol.*

*Io.* MARSILII Votum pro Republica Veneta, oppoſitum voto Cardinalis BARONII, apud *Melchiorem* GOLDASTVM, Monarch. S. R. I. ſeu Tractat. de Iurisdictione Imperiali ſeu regia, et Pontificia ſeu ſacerdotali, deque poteſtate Imperatoris ac papae, cum diſtinctione vtriusque regiminis, politici et eccleſiaſtici. Tomo II. *Francof. ad Moen.* 1614. *fol.*

*Edmundi* MARTENE *et Vrſini* DVRANDI Theſaurus novus Anecdotorum Tomi V. *Paris.* 1717. *fol.*

*Io. Iac.* MASCOVII Exercitatio Iuris Publici de Iure Imperii in Magnum Ducatum Hetruriae, *Lips.* 1721. 4.

*Iac.* MASENII Anima hiſtoriae huius temporis, in iuncto Caroli V. et Ferdinandi I. fratrum imperio repraeſentata, *Colon.* 1672. 4.

MATTHAEI *Pariſienſis* vel rectius *Paris*, monachi Albanenſis

nensis, Historia Anglica Maior, *Londini* 1571. *et Tiguri.* 1606. *fol.* ac cura *Guilielmi* WATSII, cum additamentis, glossario, notis et variis Lectionibus, *Londini* 1640. 1684. *Paris* 1644. f.

*Andr.* MAVROCENI Historia Veneta ab an. 1521. ad an. 1615. *Venet.* 1623. *fol.*

*Memoire* sur la Liberté de l' Etat de Florence 1721. 4. cuius autorem FARSONI saepius appellat GVNDLINGIVS noster.

*Iacobi* MENOCHII de Imperio et Iurisdictione Libri III. *Francof. ad Moen.* 1621. *fol.*

EIVSD. Consilia. XIII Tomi. *Ibid.* 1628. *fol.*

Delle Antichità Estensi ed Italiane trattato di *Ludouico Antonio* MVRATORI, Parte I. *in Modena* 1717. *fol.*

*Eiusd.* Piena Esposizione di dritti Imperiali ed Estensi sopra la Città di Commachio 1712. *fol.* Prodiit Gallice postea per *Casimirum* FRESCHOT. hoc titulo; Les Droits de L' Empire sur l'Etat Ecclesiastique recherchêz et plainement êclaircis a l' occasion de la dispute de Commachio, et des Droits particuliers de la Seren. Maison d' Este sur cette ville pour servir de response tant aux deux Ecrits publiez sous le titre de Premiere et seconde defense du Domaine Temporel du S. Siege qu'a un autre livre, in titule: Dissertation historique etc. *à Vtrecht* 1713. 4. (Reliqua doctissima praestantissimi viri huius in hac caussa scripta controuersa cum *Cel.* FONTANINI v. in *Burc. Gotth.* STRVVII Bibliotheca Iuris Selecta *edit* 1725. 8. (p. 678. §. 51.)

*Albert. vel Albertini* MVSSATI Historia Augusta Henrici VII. et alia, quae extant, opera, *Venet.* 1636. *fol.* et cum notis OSII, PIGNORII et VILLANII, apud *Iustum* REVBERVM, Scriptor. Rer. German. Tomo vno recognito et aucto a *Georg Christiano* IOANNIS, *Francof. ad Moen.* 1726. *fol.* et *Io. Georg.* GRAEVIVM, Thes. Antiquit. et Histor. Italiae, Siciliae et adiacentium insularum, a *Petro* BVRMANNO contin. Tomo VI. *Lugd. Bat.* 1722. *fol.*

*Henrici* vel potius *Hulderici* MVTII historiographi Germaniae, Libri Chronici XXXI. de Germanorum prima origine, moribus, institutis, et memorabilibus pace belloque gestis omnibus omnium saeculorum, vsque ad Mensem Augustum 1539. *Basil.* 1539. *fol.* et apud *Ioannem* PISTORIVM, Scriptor. Rer. German. cum *Notis Burc. Gotth.* STRVVII, *Ratisbonae* 1726. *fol.* Tomo II.

N.

Le Storie della città di Firenze di M. *Iacopo* NARDI cittadino *Fiorentino* dal. 1494. fin'al 1531. *in Firenze* 1584. 4. et *Lione* 1582. 4.

O.

OTTONIS, *Frisingensis* Episcopi,

Chronicon, siue rerum ab orbe condito ad sua vsque tempora gestarum Libri VIII. apud *Christianum* VRSTISIVM, Germ. Historic. Illustrium, quorum plerique ab Henrico IV. vsque ad an. Christi 1400. Tomo I. *Francof. ad Moen* 1670. *fol.* et apud MVRATORIVM, Scriptor. Rer. Ital. Tomo VI. *Mediol.* 1725. *fol.*

P.

*Anton.* PAGI Critica Historico-Chronologica in vniuersos Annales Ecclesiasticos *Caesarii* BARONII, Tomi IV. *Antwerp.* 1705. *fol.*

*Thomae Ioannis* PESSINAE de *Czechorod* Mars Moravicus, seu Bella, seditiones, tumultus, et ex iis enatae calamitates et clades, quas olim Moravia passa fuit, *Pragae* 1677. *fol.*

*Franc.* PETRARCHAE Epistolae de Iure imperii Romani aduersus papam, apud *Melch.* GOLDASTVM, Monarch. S. R. I. siue Tractat. de Iurisdictione Imperiali seu regia, et pontificia seu sacerdotali, deque potestate Imperatoris ac papae, cum distinctione vtriusque regiminis, politici et ecclesiastici, Tomo II. *Francof. ad Moen* 1614. *fol.*

EIVSD. Epistolae e Bibliotheca *Io.* CHALASII, *Geneu.* 1601. 8.

*Io. Bapt.* PIGNA de Principibus Atestinis, *Ferrar.* 1585. *fol.*

Bapt. PLATINAE (seu potius SACCI) Historia de Vitis Pontificum Romanorum, *Venet.* 1494. *et Colon* 1626. 4.

PROCOPII, *Caesarienſis*, opera quae extant, omnia, interprete *Claudeo* MALTRETO *Anicienſi, Soc. Iesu Presbytero*, cum Commentariis *Nicephori* BRYENNII Tomi II. *Paris.* 1662. 1663. *fol.*

EIVSD. Historiarum sui temporis de bello Gothico Libri quatuor, ex interpretatione *Claudii* MALTRETI, To. I. oper. *Paris.* 1662. et apud MVRATORIVM, Scriptor. Rer. Ital. Tomo I. *Mediol.* 1723. *fol.*

PTOLOMAEI, *de Lucca*, de Genealogia Caroli Regis Siciliae fratris Ludouici Sancti, apud *Andream* du CHESNE, Histor. Francor. Scriptor. Coaetaneor. continuat. a *Francisco* du CHESNE, Tomo V. *Paris.* 1649. *f.* et sub tit. PTOLOMAEI *Luccensis, Roberti* GVISCARDI, et eorum principum, qui Siciliae regnum adepti sunt, Genealogia, ap. *Io. Georg.* GRAEVIVM, Thes. Antiquitat. et Histor. Italiae, Siciliae et adiacentium insularum, contin. a *Petro* BVRMANNO, Tomo X. *Lugd. Bat.* 1723. *fol.*

*Placido* PVCCINELLI Istoria dell eroiche Attioni di Ugo il Grande, Duca della Toscana; con la Cronica dell' Abbadia di Fiorenza, la Galleria Sepolcrale et le Memorie di Pescia, *Milano* 1664. 4.

*Io. Petr.* PVRICELLI Notae ad LANDVLPHI Sen. Historiae Mediolan. Libr. IV. apud MVRATORIVM, Scriptor. Rer Ital.

Ital. Tomo IV. *Mediol.* 1723. *f.*
EIVSD. Ambrosianae Mediolanensis Basilicae ac Monasterii Monumenta, apud *Io. Georg.* GRAEVIVM modo citatum, Tomo IV. *Lugd. Batau.* 1722. *f.*

R.

Lettres de *Francois* RABELAIS auec les obseruations histor. par. Mr. de SAINTE MARTHE. *Bruss.* 1710. 4.
RADEVICI, Ecclesiae Frisingensis Canonici, de rebus gestis Friderici I. Imp. continuatae ad Ottonem historiae, libri duo, diligenter recogniti ac multis locis emendati, apud *Christianum* VRSTISIVM, German. Historic. Illustrium, quorum plerique ab Henrico IV. vsque ad an. Christi 1400. Tomo. I. *Francof. ad Moen.* 1670. *fol.*
RADVLPHI *de Diceto*, *Decani Londinensis*, Abbreuiationes chronicorum, inter Historiae Anglicae scriptores decem, ex edit. *Rogerii* TWISDEN et *Ioannis* SELDENI, *Lond.* 1652. *fol.*
*Odorici* RAYNALDI continuatio Annalium *Caesaris* BARONII, Tomi XIII-XXI. *Colon.* 1694. *fol.*
*Henr.* de REBDORFF Monachi, Chronica, cura *Christoph.* GEWOLDI, *Ingolst.* 1618. 4. et apud *Marquardum* FREHERVM, Rer. German. Scriptor. cura *Burc. Gotth.* STRVVII, Tomo I. *Argent.* 1717. *fol.*
*Petr.* REBVFFI de sententiis praeiudicialibus siue prouisionalibus, *Colon.* 1595. 8.
EIVSD. de Commissariis, *Lugd.* 1600. *fol.*
EIVSD. ad Titulum Digestorum de in integrum restitutione, vna cum *Marc. Ant.* CAIMI, *Franc.* de CALDOS *Pereira*, caetera, de eod. argumento scriptis, *Francof. ad Moen.* 1586. *fol.* IV. Voll.
*Theod.* REINKING de regimine saeculari et Ecclesiastico, *Francof. ad Moen.* 1669. 4.
*Gerardi* de ROO annales rerum ab Austriacis Principibus gestarum, a Rudolpho I. ad Carolum V. *Oeniponti* 1592. *fol. cum fig.* et *Halae* 1709. *fol.*
*Mart.* RVMELINI Dissertationes Academicae in Auream Bullam, cum notis *Nicolai* MYLERI AB EHRENBACH, *Stutgard.* 1655. et *Tubingae* ac *Frcf. ad Moen.* 1702. 4. cum noua Praefatione *Gabr.* SCHWEDERI.
*Hieronymi* RVSCELLI Lettre di Principi Libri III. *in Venetia* 1570. 1575. 1577. 3. Voll. 4. et Gallice sub titulo: Epistres des Princes lesquelles ou sont addressees aux Princes, ou traittent les affaires des Princes, ou parlent des Princes. Recueillies d'Italien par *Hieron.* RVSCELLI et mises en François par F. de BELLE-FOREST, *à Paris* 1572. 4.

S.

SALLAE, *Malaspinae*, Rerum Sicularum Libri V. ab an. 1250. ad an. 1276. apud *Stephanum* BALVZIVM, Miscellan. h. e. Colle-

Collectan. veterum monumentorum, quae hactenus latuerunt in variis Codd. ac Bibliothecis, Tomo VI. *Paris.* 1713. 8. et apud MVRATORIVM, Scriptor. Rer. Ital. Tomo VIII. *Mediol.* 1726. *fol.* ac *Io. Baptistam* CARVSIVM, Bibliothecae Histor. Siciliae seu Historicorum de rebus Siculis a Saracenorum inuasione ad Arragonensium principatum, Coll. Tomo II. *Panormi* 1723. *fol.* nec non *Io. Georgium* GRAEVIVM, Thesaur. Antiquitatum et Historiarum Italiae, Siciliae et adiacentium Insularum, a *Petro* BVRMANNO continuati, Tomo X. *Lugd. Batav.* 1723. *fol.*

*Ioan.* SAMBVCI Historia ad Agriam 1552. et exp. arc. Temeswar. et Historia Expeditionis Henrici II. R. Galliae in Germaniam, apud *Simonem* SCHRADIVM, scriptor. rer. German. T. II. *Giessae* 1673. *fol.*

*Felinus* SANDEVS in V. Libros sentent. Decretalium P. III. Voll. 2. *Lugd.* 1555. *Basil.* 1567. *fol.* v. et Corpus Iuris Canonici Glossat.

*Prudentii* de SANDOVAL Historia de la Vida y Hechos del Emperador Carolos V. Tomi II. *c. f. Amberes* 1681. *fol.*

SAXONIS Grammatici Historiae Daniae Libri XVI. recogniti notisque illustrati a *Steph. Ioan.* STEPHANIO, *Sorae* 1644. *fol.*

*Caroli* SIGONII Historiarum de regno Italiae Libri XX. *Franc. ad Moen.* 1591. *fol.*

*Bartholomaei* SOCINI et *Mariani* SOCINI Consilia, *Venet.* 1580. et *Argent.* 1607. *fol.*

*Ezech.* SPANHEMII Dissertationes de Praestantia et vsu Numismatum antiquorum, *Amstel.* 1671. 4. Tom. I. secundae auctioris edit. prodiit *Lond.* 1706. *fol.* et II. ex autoris autographo editus est ac numismatum iconibus illustratus ab *Isaaco* VERBVRGIO, *Amst.* 1717. *fol.*

*Io. Theod.* SPRENGERI Opuscula Iuris Publici quatuor. Lucerna moderni status Romani Imperii, Perspicillum orbis Christiani, Fontes Iuris Publici et Ellychnia ad Lucernam, *Francof. ad Moen.* 1666. 12. 2. Voll.

STRABONIS Rerum Geographicarum libri XVII. Accedunt notae integrae XYLANDRI, CASAVBONI, MORELLI, PALMERII; selectae vero ex scriptis MERVLAE, MEVRSII, CLVVERII, HOLSTENII, SALMASII, BOCHARTI, *Isac.* VOSSII, SPANHEMII, CELLARII. Subiiciuntur Chrestomatiae Graecae et Latinae, curante *Theodoro Ianssonio* ab AMELOVEN, *Amst.* 1707. *f.*

*Aeneae* SYLVII postea PII II. papae Opera, quae extant, omnia. Acc. Gnomologia ex SYLVII operibus collecta et index, *Basil. ex officina Henric. Petrina, f.*

EIVSD. Epistolae, per *Nicol. de* WILE, *Nurnbergae*, impensis *Andr.* KOBVRGER, 1481. *fol* it. Epistolae et varii tractatus ad diuersos, in quadruplici vitae eius

eius ſtatu transmiſſae, *Lugd.* 1505. 4. it. inter opuſcula de re ruſtica, partim collecta partim compoſita a *Ioach.* CAMERARIO, *Norib.* 1596. 4.

EIVSD. de Rebus ſui temporis Commentarii, *Norib.* 1496. 4. Accedunt *Iacob.* PICOLOMINAEI, Card. Papienſis, Commentarii et Epiſtolae, *Francof. ad Moen.* 1614. *fol.*

EIVSD. Hiſtoria rerum Friderici III. Imperatoris, ex MSto optimae notae nunc primum edita, cum ſpecimine adnotationum *Io. Henric.* BOECLERI, vna cum aliis, inſtar Volum. Rer. German. cura 1) *Io. Georg.* KVLPISII, *Argent.* 1685. *fol.* 2) *Io.* SCHILTERI *ib.* 1702. *fol.*

EIVSD. de Statu Europae ſub Friderico III. ap. *Marquardum* FREHERVM, Scriptor. Rer. Germ. cura *Burc. Gotth.* STRVVII, Tomo II. *Argent.* 1717. *fol.*

T.

*C. Corn.* TACITI Opera quae extant, cum notis *Io. Frid.* et *Iac.* GRONOVII, Tomi II. *Amſtel.* 1673. 4. et cum Commentariis *Iuſti* LIPSII et aliorum, cura *Caroli.* AVBERTI, *Paris.* 1608. *fol.*

*Gio* TARCAGNOTTA delle Hiſtorie del Mondo Parti IV. *in Venezia* 1617. 4.

*Alexandri* TARTAGNI Conſilia et Deciſiones cum Scholiis RAVESCALLAE, *Francof. ad Moen.* 1610. *fol.* VII. Voll.

*Iac. Aug.* THVANI Hiſtoriarum ſui temporis Tomus I. *Offenbachi* 1609. *fol.* II. III. IV et V. cum continuatione ad an. 1618. *Franc. ad Moen.* 1628. *f.*

La Liberte d' Italie demontrée a ſes Princes et a ſes Peuples, traduite de l' Abbe TOSINI, *Amſt.* 1718. 8.

*Io.* TRITHEMII, Abbatis Spanheimenſis, Hirſaugienſe Chronicon. Cuius Pars I. ab. an. 830-1370. prodiit cura *Marquardi* FREHERI, Oper. *Io.* TRITHEMII, *Francof. ad Moen.* 1601. *fol.* T. II. Plenius vero vna cum Parte II. ex Bibliotheca monaſterii S. Galli, II Tomis, *ibid.* 1690. *fol.*

*Paulo* TRONCI Memorie Storiche di Piſa, *in Liuorno* 1682. *f.*

V.

*Benedetto* VARCHI Storia Fiorentina, nella quale principalmente ſi contegono l' vltime reuoluzioni della Republica Fiorentina e lo ſtabilmento del Principato nella caſa Medici. *in Colon.* 1721. *fol.*

*Nicolai* VBALDI, vel de *Vbaldis, Peruſini*, Tractat. de Succeſſionibus ab inteſtato. *Papiae* 1488. *fol.* et in Tractat. Tractatuum, Tomo IIX. Part. I.

EIVSD. de Succeſſione ab inteſtato Clericorum Regularium, Tractat. Tractatuum. T. IIX. Part. I.

*Caſp.* VELASCO Commentarius in Pandectas, in variar. repetit. ſeu Commentar. Iur. Ciu. Voll. VIII. *Lugd.* 1553. *fol.* v. et Corpus Iuris Ciuilis Gloſſatum.

*Ferdin.* VGHELLI Italia Sacra, ſeu

seu historia episcoporum. Italiae et insularum adiacentium, cum Notis et Supplementis *Nicolai* COLETTI, Tomi X. *Venet.* 1717-1722. *fol.*

*Petri* VICTORII Epistolarum Libri X. Orationes XIV. et Lib. de Laudibus Ioan. Austriacae, *Florent.* 1586. *fol.*

*Giouanni* VILLANI Chroniche nelle quali si tratta dell' origine di Firenze e di fatti di Fiorentini, *in Venetia* 1537. *fol.*

EI. Storia de' suoi tempi sin oal 1348. *in Venet.* 1559. 4. cuius secundae editionis titulus est: Storia di *Giouanni* VILLANI, Cittadino *Fiorentino,* nuouamente corretta et alla sua vera lezione ridotta, col riscontro di testi antichi, *in Fiorenza* 1587. 4.

(Eam trium VILLANORVM Chronicorum edtionem, quae nostris temporibus *Mediolani* prodiit, multis erroribus ac naeuis obrutam, contendit Autor Epistolae cuiusdam, *Florentiae* praeterito anno scriptae, cuius argumentum tradunt *Gelehrte Zeitung* huius anni No. V. p. 41. Nouam ergo eamque omnibus numeris absolutam editionem parant bibliopolae *Florentini* TARTINI et FRANCHI. *Gelehrte Zeitung* l. c. )

*Petri* de VINEIS, Cancellarii quondam Friderici II. Imp. Romani, Epistolarum libri VI. recogniti, aucti, glossario et indice illustrati, per *Germanum Philalethen, Amberg.* 1609. 8. (Auctiorem longe accuratioremque editionem, collatis inter se multis MStis, meditatur *Cel. Io. Herm.* SCHMINCKIVS.)

*Alfonso* VLLOA Vita di Carolo V. Imp. *in Venetia* 1566. 4.

VRBANI V. Epistolae Secretae, citantur ab *Odor.* RAYNALDO in Contin. Annal. *Caes.* BARONII.

- Vita, autore incerto, edita a *Franc.* BOSQVETO, in Collect. Epistolarum Innoc. III. *Tolos.* 1635. *fol.* et emendata a *Stephano* BALVZIO, in Vitis Paparum Auenionensium, *Paris.* 1693. 4.

W.

*Pauli* WARNEFRIDI, *Langobardi*, Diaconi Foroiulienſis, de Gestis Langobardorum Libri VI. ad MSS. veterum Codicum fidem editi a *Frider.* LINDENBROGIO, *Belga.* Accesserunt variae Lectiones Codicum Ambrosiani ac Modoetiensis et Annotationes *Horatii* BLANCI, *Romani,* editore *Ludouico Antonio* MVRATORIO, Tomo I. Scriptor. Rer. Ital. *Mediol.* 1723. *f.*

WIPPO de Vita Conradi Salici, apud *Ioan.* PISTORIVM, Scriptor. Rer. German. cum notis *Burc. Gotth.* STRVVII, Tomo III. *Ratisbonae* 1726. *fol.*

INDEX

# INDEX III. RERVM

*Romanus prior numerus caput, paragraphum alter, et vulgaris tertius paginam, notant.*


A.

Aduocati Imperiales in Italia I, XXVI, 28
Albertus Tuſciae Vicarius I, XX, 23, n. *
Alexander Medicaeus a Clemente VII. legitimatus I, LXXIX, 97
Princeps ſit ſenatus Florentinorum ib.
Dux Florentinorum a Carolo V. creatus ib.
Eius inauguratio I, LXXXII, 111.
- cum Margaretha Auſtriaca connubium I, LXXX, 99
An Carolo V. homagium praeſtare noluerit? I, LXXXI, 101
caedes eius I, LXXXV, 118. ſeq.
Altitudinis regalis titulus Florentinis tributus I, XCI, 141
Matthaei Aquiſpartani ad Florentinos ablegatio I, LIII, 61
Argumentorum pro libertate Florentinorum omnimoda ſumma, e iure II, I, 141. e facto III, I, II, 192
Arnulphi res in Italia geſtae III, III, 194
Domin. Arumaeus notatus II, XIV, 156
Joan. de Auesnis Italiae Vicarius I, XLIV, 49

B.

Beatrix, Tuſciae domina, iudicio Henrici III. ſe ſubmittit I, XVI, 17
Chriſtoph. Beſoldus notatus II, XIV, 157
Berengarii ſenioris res geſtae III, III, 194
Bona fides in praeſcriptione vbique neceſſaria II, XX, 165
Bonifacii VIII. ſtudium delendi Imperii in Italia iura I, LII, LIII, 58. ſeq.
Vinc. Borghinus laudatus I, II, 4 refutatus ibid. III, 4. V, 5
Maur. Burdinus, pontif. ſub Greg. VIII. nomine creatus I, XX, 21

C.

Cameracenſe foedus I, LXXI, 88
Capitanei vocis apud Italos vis I, LXIII, 74
Lud. Caponii laudabilis audacia I, LXXII, 92
Caroli Andegauenſis in Italia geſta I, XXXIX, 40. ſeq.
Vicariatu Italiae ſe abdicat I, XLIV, 49
Caroli I. ſiue Magni inſtauratio Florentiarum I, II, 3
- III. ſiue Craſſi in Italia auctoritas I, VI, 6
- IV. res in Italia geſtae I, LXII, 71 III, XV, 210
- V. cum Florentinis bellum I, LXXVI, 93. ſq.
- - lex municipalis Florentinis data I, LXXXII, 105, III, XVI, 213
- - ſubmiſſa a Florentinis exceptio I, LXXXIII, 116

- Eiusd ibid. acta ibid.
- successionis Cosmi approbatio et inauguratio I, LXXXVI,121
- - Valesii res in Italia gestae I, LIII, 61. seq.
Corn. de Cibo in Carolum V. affectus I,LXXXVI,120
Clementis VII. pro Medicaeis acta I,LXXIX,97
Conradinus bene ab Italiae ciuitatibus exceptus I, XL, 41
Conradus Sueuus
- creatus marchio Tusciae I, XXII, 22
- regium nomen in Italia sumit ib.
- ducis et signiferi elogio contentus I,XXIII, 23
- eius in Italia autoritas I, XXV,26
Controuersiae Imperatorum cum pontificibus de haereditate Mathildina I,XXVII,27.seq.
Cosmi Medicaei elogium I, LXXII, 89
- successionis post Alexandri caedem modus I,LXXX,119.seq.
- spiritus et noua dignitas I, LXXXVII, 127.seq.

D.

Desiderius rex captus a Carolo M. I, IV, 5
Donatio Carolina I, V,5

E.

Ecclesiae Romanae schisma post Gregorii XI. obitum I,LXV, 76
- aliud I,LXVIII, 84
Nic. Mylerus ab Ehrenbach notatus II, XIV, 157
Electorum circa negotia Italiae cura II, XIV, 162
Etruria ad fiscum Imperii recidit II, XXIV, 171
- eius magnus dux a Max. II. Vasallus dictus II, XXXI, 180.
- - ad regni Italiae onera obligatus II,XXXII,181
- in eo de successione disponendi ius Caesari debetur II, XXXII, 182
Marino ab Eubulo Tuscis praeficitur I, XXXV, 38

F.

Fides bona in omni praescriptionis genere necessaria II,XX, 165
Florentinorum
- ager pars regni Langobardorum I, II, 3. III,4. et Italiae II, II,144
- erga Sigismundum irreuerentia I,LXVII,83
- fata sub Carolo I. seu M. I.II,3
- - sub Carolo IV. I,LII, 71.seq.
- Manfredo rege I,XXXVIII,40
- in imperium motus I, LVI, 64. seq. I, LXIV, 75
- indoles II, XXV, 170
- libertas eius vt et potentiae origo ac causae I, XXXIII. 33. vt et a Carolo V. restitutio qualis? II, XXVIII, 176
- - indoles vera II, VII, 147
- - possessio rupta II, XXI,167
- an omnimoda sit? II,XXVIII,161
- pro omnimoda libertate argumenta, e iure II, I, 141. e facto III, I, II, 192
- pactum cum Carolo IV. I,LII, 71. seq.
- - cum Ruperto I, LXVI, 77
- - prio-

- - priores artium vexilliferi et perpetui Imp. Vicarii creantur l. LXXIII, 74
- - priuilegiorum acceptorum indoles II, XVIII, 162
- - prouocatio ad libertatem frustranea II, XXII, 169
- - societas cum Gibellinis I, XXXVI. 38
- - cum Guelfis ibid.
- - Status a Carolo V. ordinatus I, LXXXII, 105
Foedus
Barcinonense I, LXXVI, 93
- - contenta I, LXXIX, 97
- Cameracense I, LXXI, 88
Fridericus de Antiochia Tusciae praefectus I, XLIV, 49
Friderici I. Imp. cum pontifice de Mathildina haereditate tractatus I. XXVII, 29
- pactum cum Welpho de futura successione I, XXVIII, 30
Fridericus II. Mathildinam haereditatem pontifici relinquit I, XXXV, 35
Friderici III. in Italia auctoritas I, LXVIII, 84
- res ibid. gestae ibid. et III, XIII, 206
Henr. Furstenbergius Italiae praefectus I, XLIV, 49

G.

Ioannes de Gabillone Italiae praefectus I, LII, 58
Ioan. Galeatii acta I, LXV, 77
Genuensium laus I, IX. 8
- studium nauale ibid.
Graeciae liberarum ciuitatum indoles II, XX, 166
Graecorum in Italiam irruptio I, X, 9
Gregorii X. studium in concitandis Italiae ciuitatibus I, XLI, 47
Gregorii XI. cum Florentinis controuersiae I, LXIV, 76
Guido Portuensis Vicarius Italiae I, LXXII, 75

H.

Hadrianus, Pont. quas vrbes in Tuscia a Carolo M. dono acceperit I, V, 5.
Henrici III. in Italia autoritas I, XVI, 17
- VII. studium vindicandi Imperii in Tusciam iura I, LII, 62. seq.
Henricus superbus Tusciam accipit I, XXIII, 24
Rudolphus ab Honeck an Tusciae fuerit rector? I, XLV, 50
- - res eius ibid. gestae I, XLVI, 51

I.

Imperatorum in alienandis Imperii bonis limitata potestas II, XVIII, 162
Imperii Romani superioritas in Florent. a Carolo V. seruata I, LXXXVII, 122.
- vt et a Maximiliano II. I, CX, 140
Imperii summi indoles II, XXIII, 169
Ingilbertus fictus Tusciae marchio I, XXIII, 24
Innocentius III. pont. Tusciam a Germanorum obsequio abstrahere tentat I, XXXI. 32
Inuestitura nexum feudi non semper indicat II. XXX, 179
Ioannes Lucenb. rex Bohemiae, Italiae Vicarius I, LIX, 68
- eius ibid. acta ibid.
Ioannes XXII. papa, vicariatum Italiae affectat I, LVIII, 67

Italiae
- ciuitatum inter se bella I, XXV, 25. 26
- - contra Imperium conspiratio I, XXVI, 28
- - insolentia I, XXV. 25. 26
- cum Germania nexus II, VI, 147
- ducatus I, VI, 6
- facies
- - tempore Conradi IV. I, XXXVII, 38
- - - interregni I, XLI, 47
- - - Rudolphi Habspurgici I, XLII, 48
- rex a Germanis legitur II, IV, 144
Italorum ingenia I, et II, XXV, 25, 172
- a Germanorum conuentibus exclusio II, IV, 145
- obligatio ad censum, fodrum, etc. ibid.
- et ad defendendam Italiam ibid.
Io. Chr. Itterus notatus II, XIV, 157
Iureconsultorum Germanicorum in rebus Italiae ignorantia II, XIII, 154
Iureconsultorum Italiae in Germanos iniquitas II, X, 150
- stolida de libertate Florentinorum cogitata II, XI, XII, 151 III, XI, 204

K.

Casp. Klockius notatus II, XIV, 157 158

L.

Langobardorum regni diuisio I, VI, 6
Luccensium priuilegia a Maximiliano I. impetrata I, LXXI, 88 seq.
Ludouici Bauari res in Italia gestae I, LVIII, 67
Ludouici Pii in ecclesiam Romanam liberalitas I, V, 6

M.

Mart. Magerus notatus II, XIV, 155
Magniducalis in Etruria dignitatis origo et circa illam controuersiae I, LXXXVI, 128 seq.
Luchinus Maphaeus an Tusciae fuerit vicarius? I, L, 54
Mathildis Tusciae Marchionis erga imperium habitus I, XVII, 18
- haereditas controuersa I, XIX, 21 I, XXXVII, 35 a Friderico II. pontificibus cessa ibid.
Maximiliani I. in Tuscia res gestae. I, LXIX. 85
Maximiliani II. titulo magni ducis a Cosmo affectato, contradictio. I, LXXXVI, 129
- ad Cosmum desuper litterae ibid. 130
- Francisco facta tandem tituli huius confirmatio I, LXXXIX, 134 seq.
Medicaeorum origo I, LXXII, 89
- potentiae augmenta I, LXXIV, 93
- imperii eorum origo II, XXXVI, 186 seq.

N.

Narses Florentiam denuo expugnat. I, I, 3

O.

Opificum, et aliorum infimae plebis hominum, ad honores bellicos admissio turpis I, XXV, 27
Ottonis IV. acta in Italia I. XXXIII, 34

Otto-

Ottonum priorum ibid. autoritas I, VIII, 7 III, IV, 195 et V, 196

P.

Paciariatus quid? I, LIII, 60.
Pandulphus Tuſciae Marchio creatus I, XXXV, 36
- quis fuerit? ibid.
Papia a Carolo M. capta I, IV, 5
Pax
- Bleſenſis I, LXX, 86
- Conſtantienſis I, XXVI, 28
- inter Rudolphum Imp. et Carolum Andegauenſem I, XLIV, 49
Petri II. Medicaei aduerſa fata I, LXXIII, 91 ſeq.
Philippus Tuſciae rector declaratus I, XXIX, 30
- res eius ibid. geſtae ibid.
Pinziualla vel Princiualles Fliſcus Ianuenſis Comes Vicarius Imperii I, L, 55
- tributa a Florentinis accipit I, LI, 57 et ibid n.*
Piſanorum
- laus et nauale ſtudium I, VIII, 8
- priuilegia ab Ottone IV. impetrata I, XXXIV, 35
- ſolennia iurisiurandi, Alphonſo Arragonenſi, Imp. praeſtiti I, XL, 41
- ſumma ſemper erga imperium fidelitas I, XXXI, 32 I, XXXVII, 38
Pontificum de Florentinorum libertate teſtimonia falſa II, VIII, 149
Poſſeſſio nuda nihil efficit II, XX, 165
- libertatis Florentinorum rupta II, XXI, 167
Poteſtatis vis, medio aeuo, in Italia I, XXXIV, 34
Praeſcriptionis exceptio Florentinis non prodeſt II, XVI, 158
- requiſita II, XVII, 159. ſeq.
Prioris dignitas I, XXXIV, 34.

R.

Regalis altitudinis titulus a Leopoldo I. Florent. tributus I, XCI, 141
Regalium Italicorum conditio II, VI, 146
Theod. Reinking notatus II, XIV, 156
Reipublicae vocis vis II, VII, 147
Rhodiorum libertas II, XX, 166
Roberti Siculi in Italia res geſtae I, LVIII, 67
Rudolphi Habſpurgiei de Italia conſilia I, XLII, 48

S.

Sabaudiae ducis prae Florentino praeeminentia firmata I, XC, 140 ſeq.
Saracenorum in Italiam inuaſio I, X, 9 ſeq.
Senenſes
- Alphonſo Imp. fidelitatem praeſtant I, XL, 41 ſeq.
- Imperio ſemper fideles I, XXXVII, 38
Signiferi dignitas I, XXII, 23 n.**
Petr. Soderini fata I, LXXIII, 92
Spoleti ducatus I, VI, 6
Ioan. Sprengerus notatus II, XIV, 155
Stephani iun. Boii, acta in Italia I, LXV, 77
- ſubiectionis modi II, XXX, 177

Totilas.

T.

Totilas Gothor. R. Florentiam capit. l, II, 3
Tuſciae
- ciuitates foedus contra imperium ineunt l, XXXI, 32
- qua formula ab Innocentio III. pont. in fidem receptae l, XXXV, 35
libertatis earum ac potentiae origo et cauſſa l, XXXIII, 33 XXXIV, XXXV, 35 ſeq.
- diuiſio l, V, 6
- ducatus Richardo, Innocent. III fratris filio, promiſſus l, XXXII, 33
- fata poſt Caroli craſſi exauctorationem l, VII, VIII, 7
- occupatio per Carolum Andegauenſem Vicar. Imp. nomine l, XXXVIII, 40
- rectoris et Vicarii munerum indoles. l, XXXIX, 40
- ſuperior pars ad regnum Langob. ſpectauit l, II, 3
- vt et ad Imper. Carolin. l, VI, 6 et Imper German. l, VIII, 7 ſeq.

V.

Ben. Varchius notatus l, LXXXI, 101
Venetorum laus et ſtudium nauale l, VIII, 8
Vicariatus Italiae a Ioanne XXII affectatus l, LVIII, 67 ſeq.
Vicarii in Italia ratio l, LXIII, 74
Vicarii Imperat. in Italia l, XXVI, 28
Io. Villani plagii nota notatus l, XXXVIII, 40
Vlricus Marchio quis? l, XXV, 25

W.

Welphorum factio, poſt Henr. VII potentia Florentinorum vnice nititur l, LVIII, 67
Welphus Tuſcis praeficitur l, XXVI, 28
Wenceslai Imp. in Italia autoritas III, XV, 210
Wilhelmus marchio quis? l, XXVI, 28

S 154045

AB 154045

X2407318

Xl 768 ra

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23944/fragment/page=0287

I HIERONYMI
OLINGII IC.
BORVSS. ET ELECT. BRAND.
T IN DVCATV MAGDEB. ECCLESIA-
ATVM ET ELOQVENTIAE PROFESSORIS
A PVBLICI ORDINARII LONGE
CELEBERRIMI
DE
VGVSTISSIMI
RATORIS
IMPERII
VM ETRVRIAE
VCATVM
*MENTATIO*

QVAM
DIPLOMATVM AVTORVM
VM COPIOSISSIMO
NEC NON
ATORVM DOCTRINAE
S SACRI ROMANO-
ANICI IMPERII
NSTRVXIT
GOTTLIEB FRANCVS.

*LIPSIAE*
NA LANGENHEMIANA
CIↃ IↃCC XXXII.

Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres Inches
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23944/fragment/page=0289